Schroeter, Wilhelm
De Simonidis cei melici sermone quaestiones

DE SIMONIDIS CEI MELICI SERMONE

QUAESTIONES

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

GUILELMUS SCHROETER
LIEGNITZIENSIS

LIPSIAE
TYPIS ROBERTI NOSKE BORNENSIS
MCMVI

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

LIPSIUS **MARX**

LIPSIAE D. XV. M. JANUARII A. MCMVI.

PROCANCELLARIO
MARX.

MATRIS MANIBVS
SACRVM

Resurrexere Bacchylidis carmina: utinam δασπλὴς illa Χάρυβδις reddat etiam avunculi clarioris atque, quantum ex antiquorum testimoniis et ex ipsius fragmentis servatis cognoscimus, venustioris suavioris elegantioris!

Sed quoniam fortuna maligna nobis nihil nisi disiecta membra concessit, de his iam instituturi sumus quaestionem, contenti exiguis deorum donis. Ac primum quidem Simonidis Cei syntaxeos usum, deinde verborum delectum tractare in animo est. Epigrammata autem ab hac dissertatione secludemus; etenim et propter lemmata adhuc plerumque incerta praebent argumentationis fundamentum nimis lubricum et propter elocutionem a melicorum carminum diversam peculiarem potius videntur desiderare quaestionem; hanc ob causam elegiaca quoque fragmenta neglegenda censuimus. Quamquam ne haec quidem fragmenta Simonidea, quatenus e re esse videbitur, non respiciemus.

Caput prius.

De syntaxi

1. de rebus in subiecti praedicati attributi usu memorabilibus.

Hac in capitis parte initium faciemus ab omnibus eis rebus, quae in sententiarum structura parum congruae videntur, tractandis. Tota autem huius capitis prioris de syntaxi Simonidea quaestione sola enumeratione non acquiescemus, sed id semper spectabimus, ut ceterorum praecipue poetarum non neglegatur sermo, verum ad Simonidis, quantum fieri poterit, illustrandum adhibeatur.

Atque substantivis substantiva apponuntur apud Simonidem ita, ut adiectivorum attributorum instar sint, hisce locis: 4, 5 [1]) *πανδαμάτωρ χρόνος* [2]) 36, 2 *ϑεῶν . . . ἀνάκτων* ibid. *υἷες ἡμίϑεοι* 4, 6 *οἰκέταν εὐδοξίαν.* [3]) Haec consuetudo poetarum vel maxime propria iam apud Homerum invenitur, sed eis tantum continetur notionibus, quibus sicut apud Simonidem 4, 5 36, 2 significantur personae vel etiam animalia. Omnia huius modi apud Homerum formata brevi in conspectu posuit I. La Roche in dissertatione quae inscribitur *Die Lehre von der Kongruenz, ein Beitrag zur griechischen Syntax* in *Ztschr. f. d. österr. Gymn.* vol. 22 p. 752 sqq. Qua in sermonis proprietate elegiaci quidem Homerum sunt secuti, altius tamen surrexerunt melici ac potissimum tragici ita, quod sicuti Simonides in frgm. 4, 6 ad res quoque significandas substantiva coniunxerunt cum substantivis. En exempla: Soph. Trach. 302 [4]) *δοῦλον βίον* Eur. Ion. 1373 *οἰκέτην βίον*; plura afferunt La Roche l. c. et Kuehner, *Ausführl. Gramm. d. griech. Spr.* II^{3}, 1 p. 272 sq. (tert. ed. cur. Gerth), elegiacorum usum exposuit Fl. Weigel in dissertatione in-

---

[1]) Numeri sunt Bergkianae editionis quartae.

[2]) nimirum hoc loco de tempore verba facit tamquam de persona, sicut Homerus de somno, vid. p. 31.

[3]) frgm. 38, 1 *δασπλῆτα Χάρυβδιν* utrum in hoc numero sit habendum necne, incertum, vid. p. 33.

[4]) e recensione G. Dindorf ed. Mekler 1885.

augurali quae inscribitur Quaestiones de vetustiorum poetarum elegiacorum Graecorum et qu. sequ.[5]) Commemorandum autem porro in Simonidis frgm. 4, 6 duo illa substantiva genere esse diversa, id quod apud Homerum quidem nusquam invenies, saepius imprimis apud tragicos veluti Aeschyl. Agam. 664[6]) *τύχη δὲ σωτήρ* Suppl. 1041 Sophocl. O.R. 81 El. 850 alibi.

Ecce autem duo praeterea exstant apud Simonidem generis anacolutha, alterum in frgm. 37, ubi masculini generis participium *κείμενος*[7]) v. 12 referendum est ad *τέκος*, alterum pariter comparatum 52, 2 *ψυχὰν ἀποπνέοντα γαλαθηνὸν τέκος*. Videlicet utroque loco genus personae natura insitum praefertur ei, quod secundum grammaticae artis leges postulatur. Huius ipsius anacoluthi in vocabulo *τέκος* et *τέκνον* conspicui largam praebet exemplorum copiam e tragicorum fabulis collectam I. Wrobel in dissert. inaug. Vratisl. ann. 1865, quae est de anacoluthis apud tragicos Graecos. Simil. ap. Wilamow. ed. Eur. Hipp. p. 230 sq.

Transitus inde a numero plurali ad singularem per constructionem quam grammatici dicunt *κατὰ σύνεσιν* vel *σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον* apud Simonidem tribus locis fit hisce: 5, 19 *πάντας*[8]) *δ' ἐπαίνημι καὶ φιλέω, ἑκὼν ὅστις ἕρδη* 39, 4 *κείνου γὰρ ἴσον λάχον μέρος οἵ τ' ἀγαθοὶ ὅστις τε κακός* 58, 4 *οὐδὲ πάντων βλεφάροις θνατῶν ἔσοπτος, ᾧ μὴ δακέθυμος ἱδρὼς ἔνδοθεν μόλῃ, ἵκῃ τ'* .. scilicet semper in sententiis relativis generalibus, sicut apud Homerum exempli gratia *O* 731 *Τρῶας* .. ,*ὅς τις* *T* 260 *ἀνθρώπους* .. ,*ὅτις* alias; nec desunt exempla aliis e scriptoribus sumpta, cfr. Oscar. Erdmann, de Pindari usu syntactico capita quinque Diss. inaug. Hal. Sax. 1867 p. 5. Ed. Volp, de usu numeri pluralis Aeschyleo et Sophocleo Diss. inaug. Marp. Catt. 1888 p. 11 sqq. Poeticae autem eius modi structurae magis propriae videntur esse quam prosae orationi, quamquam ne ab hac quidem prorsus abhorrent, cfr. Thucyd. VII, 29, 4 alia.

Praetereo permirum soloecismum ab Herodiano Simonidi imputatum *ὡς δὴ ἐγὼ γελᾷ* (frgm. 224 Bgk.), cuius testimonii ambiguam esse fidem Bergkius annotavit.

Deinceps dicatur de eis locis, ubi e n u n t i a t i p a r s d e s i d e r a t u r.

Ac saepe apud Simonidem copula *εἰσίν ἐστίν* omittitur; imprimis autem haec copulae ellipsis propria est sententiis generali

---

[5]) in dissertationum inaug. Vindob. vol. III p. 216.

[6]) ed. Weil 1884.

[7]) de reliquorum participiorum genere v. 8 et 12 (*ταθείς*) *προσ(έχων)* vix quicquam certi statui potest.

[8]) v. l. *πάντα*.

quadam notione insignibus sive gnomicis; quare non miramur, quod vel maxime apud Theognidem invenimus frequentatam, cfr. Weigel. l. c. p. 132. Eandem explicationem haec copulae detractio apud Simonidem habet duodecim locis 5, 2 . 6 . 7 . 9 . 14 32, 3 39, 1 sq. . 5 61, 3 71, 1 . 3 77; praeterea legitur 4, 2 sq. 57, 6 75, 3.

Participium *εἰρημένον* denique omittitur fr. 5, 8 *οὐδέ μοι ἐμμελέως τὸ Πιττάκειον νέμεται* scilicet propter eandem formam *εἰρημένον* proximo versu expressam.

Altera est ellipseos forma 5, 17 *πανάμωμον ἄνθρωπον, εὐρυέδεος ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα χθονός.* Caret enim sententia relativa notione quadam, veluti *πάντων ἡμῶν,* quo referatur; immo ipsa talis notionis locum obtinet ut apud Homerum β 28 *τίνα χρειὼ τόσον ἵκει ἠὲ νέων ἀνδρῶν ἢ οἳ προγενέστεροί εἰσιν* alibi.

Memorandus denique in extrema hac capitis parte est epitheti ille usus, quem grammatici dicunt prolepticum, in frgm. 5, 16 *οὔποτ' ἐγὼ . . . κενεὰν ἐς ἄπρακτον ἐλπίδα μοῖραν αἰῶνος βαλέω.* Exempla proferre satis habeo ex Homero Ξ 6 *εἰς ὅ κε θερμὰ λοετρὰ . . θερμήνῃ,* ex Pindaro Ol. I, 68 [9]) *λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον,* vel e tragicis, apud quos plurima exstant, Aeschyl. Ag. 1247 *εὔφημον . . . κοίμησον στόμα.*

Eiusdem loci Simonidei eadem verba exemplum praebent epitheti traiectionis; namque melius adiectivum *κενεός* refertur ad *αἰῶνος* quam ad *μοῖραν.* Notum autem est hanc figuram poetis placere maxime lyricis tragicisque, quamquam ne apud Homerum quidem desunt vestigia, cfr. ξ 197 *ἐμὰ κήδεα θυμοῦ* λ 541 *αἱ δ' ἄλλαι ψυχαὶ νεκύων κατατεθνηώτων.* Sane leniorem quandam huius figurae formam Simonides exhibet; adiectivum enim ita apposuit alteri substantivo cum alterius genitivo coniuncto, ut tamquam utriusque nominis attributi munere fungatur; videlicet duo illa substantiva *μοῖραν αἰῶνος* pro uno stare atque haberi possunt. Audaciora formarunt cum chorici tum tragici, cfr. Ric. Schenk, de genuini quem vocant genitivi ap. Aeschyl. usu Diss. inaug. Berol. 1882 p. 56 sq. Herm. Rackwitz, de genitivi usu Sophocleo p. prima Diss. inaug. Hal. 1887 p. 46 sq.

2. de pronominibus.

Pronominis *ὁ ἡ τό* genuina vis est demonstrativa; quae apud Homerum plerisque locis invenitur. Simonides quidem eam exhibet tribus locis 18, 3 *Μαιάδος . . . ἔτικτε δ' Ἄτλας . . . τάν γ' ἔξοχον εἶδος* 30, 4 *ἐλάφῳ. τὰν δ' ἐπ' αὐχ. στρ. κτέ.* 71, 3 *τᾶς δ' ἄτερ οὐ-*

[9]) ed. Christ. (Lips. 1896) sunt numeri; Schroederianae editionis (Lips. 1900), ubi differunt, uncis inclusos adiecimus.

δὲ θεῶν ζαλ. αἰ.; videlicet nusquam non particulae *δέ* vel *γὲ* tamquam fulcra apponuntur.

Praeterea articuli instar est hoc pronomen apud Simonidem multis locis, quos omnes enumerare longum est. At statim duos afferam, ubi articulus apponitur pronominibus demonstrativis *ὅδε*: cfr. 75, 3 *ὁ δὲ μῦθος ὅδε* (et *ἐκεῖνος*: cfr. frgm. 60 *τῶν ὑπὸ γᾶς ἐκείνων*). Quamquam ceterum poetarum est in hoc demonstrativorum usu articulum plerumque omittere, veluti apud Homerum *ὅδε* *(ἐ)κεῖνος* *οὗτος* ubique sine articulo ponuntur exceptis τ 372 *αἱ κύνες αἵδε* β 351 *κεῖνον τὸν κάμμορον* σ 114 *τοῦτον τὸν ἄναλτον*; nec vero Simonides non omisit articulum ad *ὅδε*: 4, 6[10]) 57, 6, ad *οὗτος*: 5, 10[11]) 59. De infinitivo cum articulo coniuncto frgm. 76 infra p. 15 dicendi erit locus.

Tertiam pronominis *ὁ ἡ τό* vim apud Homerum deprehendimus relativam; qui usus linguae statum quendam simplicem redolet eius aetatis, qua omnes sententiae copulari solebant *παρατακτικῶς*, non *ὑποτακτικῶς*. Sicut multis in aliis rebus, ita in hac quoque poetae quidem hanc vetustiorem linguae condicionem aliqua ex parte servarunt, prosae orationis repudiarunt scriptores; imprimis autem lyrici ad Homeri imitationem se applicuerunt in hoc usu; quare non miramur, quod etiam apud Simonidem haud minus quattuor deprehendimus exempla 5, 7 . 14[12]) 18, 4[13]) 43, 2. Atque uno quidem loco 5, 7 additur ad pronomen particula *τὲ* itidem ex Homero assumpta, vid. K.-G. II³, 2 (1904) § 518, 1 . 2 p. 236.

De pronominibus *ὅδε* et *οὗτος* modo dictum est, ubi de articulo agebatur; nunc quidem dignum esse puto, quod addatur, duobus locis Simonideis 57, 6 et 75, 3 pronomen *ὅδε* ad ea referri, quae antecedunt, id quod insolentius est apud prosae orationis potissimum scriptores, qua de re conferas etiam K.-G. II³, 1 § 467, 4 . 7 p. 643 sq. 646. 4, 6 *ὅδε* ponitur *δεικτικῶς*.[14])

3. de casibus.

a) de accusativo.

Transitive ponuntur nonnulla verba apud poetas, quae in soluta oratione cum praepositionibus coniunguntur; dico verba eundi

---

[10]) sic Bergkius pro *ὁ δέ*.

[11]) var. lect. *τ. τὸ γέρας*.

[12]) *οὕς* tradidit Plato.

[13]) lectio incerta, vid. indicem.

[14]) Eadem vi instructum invenitur *οὗτος* nonnullis in epigrammatis Simonideis, quae ob ipsum hunc usum sunt qui poetae abiudicare voluerint; conferas de hac quaestione, quam hoc loco retractare nostrum non est, Bergkium PLG. III⁴ p. 431 sqq.

veniendi. Simonides quidem habet frgm. 38, 1 *μίαν ἵκνεῖται δ. Χάρυβδιν*, at idem praebet 36, 4 *ἐς γῆρας ἐξίκοντο.*[15]) De ceterorum poetarum usu vid. La Roche, *Hom. Stud.* p. 94 . 102. C. Carstens, de accusativi usu Euripideo Diss. inaug. Ien. 1884 p. 44. O. Erdmann l. c.

Accusativum deinde qui dicitur interioris obiecti posuit Simonides 37, 18 *θαρσαλέον ἔπος εὔχομαι*; quae verbi *εὔχομαι* structura Homero quidem inusitata est; nec tamen Pindaro, cfr. Pyth. III, 2 *εἰ χρεὼν τοῦθ' ἁμετέρας ἀπὸ γλώσσας κοινὸν εὔξασθαι ἔπος*, vel tragicis, cfr. Aeschyl. Suppl. 1060 *μέτριον νῦν ἔπος εὔχου.* Quantopere omnino haec figura apud poetas viguerit, cognoscere licet vel ex enumeratione quam praebet Ed. Escher, *Der Akkusativ bei Sophokles unter Zuziehung desjenigen bei Homer, Äschylus, Euripides, Aristophanes, Thukydides, Xenophon. Inaug.-Diss. Zürich* 1876.

b) de genitivo.

Insolentius *ὑπέχειν οὖς* coniungitur cum genitivo in frgm. 37, 14, ubi dativum exspectamus, cfr. Bergk. ad loc. et Wilamowitzium, *Philol. Untersuchungen* IX p. 146 sqq.

Porro frgm. 55, 1 Schneidewinus e librorum *βιότῳ* (unus cod. *βίος ὅπ*) dativum quem dicunt mensurae Simonidi restituendum esse censuit, Hermannus genitivum. Attamen quamquam Schneidewini coniectura ad librorum lectionem propius accedit, Hermanni magis commendari videtur magno eorum locorum numero, quibus ad medium genus *ὀνίναμαι* genitivus subiungitur scilicet partitiva notione insignis, vel etiam e Simonidis quae feruntur epigrammatis praesto est exemplum 128, 2 *ὄναιντο βίου*, alia vide in Fr. Passovii lexic. Gr. l. s. v. 2.

c) de dativo.

Passivae quidem verbi formae adicitur dativus ad personam agentem exprimendam 5, 8 *οὐδέ μοι . . . νέμεται.*

Porro dativus qui dicitur ethicus pronominis personalis enclitici *μοὶ* subiungitur particulae *μή* in frgm. 46, 2.[16]) Idem saepenumero fit in eius modi deprecationis formulis, conferas Hom. *Z* 486 *Π* 839 *Ψ* 443 *ε* 160 *η* 303 al., deinde Alcman. frgm. 38, 2 Pind. Isthm. I, 3 Eur. frgm. 924, 1[17]) al.

Ad temporis spatium, intra quod aliquid accidit, significandum dativus sine ulla praepositione adhibetur frgm. 62, 2 *ὀλίγῳ*

[15]) cfr. etiam fr. 48, 1 58, 6.
[16]) de variis lectionibus, quae minus valent, cfr. indicem.
[17]) Trag. Graec. fragm. rec. Nauck ² 1889.

δὲ χρόνῳ et 39, 2 *αἰῶνι δὲ παύρῳ*; cfr. K.-G. II³, 1 § 426, 2 annot. 6 p. 446, ubi hanc consuetudinem a soluta oratione magis esse alienam ostenditur.

4. de praepositionibus.

Praepositionem *πρό* Simonides improprie in comparatione duarum rerum ponit, ut alteram indicet alteri esse praeferendam ideoque eius loco ponendam 4, 3 *πρὸ γόων δὲ μνᾶστις*, sicuti apud Sophocl. O.C. 1524 *πρὸ πολλῶν ἀσπίδων*, apud Homerum lyricos Aeschylum exemplum non inveni.

Σύν semel exstat apud Simonidem 40, 3. Dicitur autem de modo ac ratione, qua aliquid fit, vel de eis actionibus, quae verbi actionem tamquam comitantur, *ἅλλοντο καλᾷ σὺν ἀοιδᾷ*. Translatus hic praepositionis *σύν* usus in epico sermone non frequentatur, neque enim amplius duo loci afferri possunt hi: ξ 151 *οὐκ αὔτως μυθήσομαι ἀλλὰ σὺν ὅρκῳ* et Hesiod. fr. 134, 11 [18]) *σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσιν*, plura tamen apud elegiacos Pindarum Bacchylidem tragicos reperiuntur exempla, veluti Theogn. 330 *σὺν ἰθείῃ δίκῃ* Pind. Nem. V, 38 *ἶλαι σὺν καλάμοιο βοᾷ θεὸν δέκονται* Bacchyl. XIII, 66 [19]) *ἀσφαλεῖ σὺν αἴσᾳ* Aeschyl. Ag. 1547 *σὺν δακρύοις* Sophocl. El. 641 *σὺν φθόνῳ τε καὶ πολυγλώσσῳ βοῇ* alia.

Temporis, per quod vel intra quod aliquid accidit, notionem praepositio *κατά* subiuncto accusativo exhibet frgm. 12, 1 *χειμέριον κατὰ μῆνα*. Atque apud Homerum Hesiodumque *κατά* ad tempus ne uno quidem loco refertur, primum et semel in elegiacis carminibus ap. Tyrtaeum frgm. 12, 41 *οἱ δὲ κατ' αὐτόν* i. e. „aequales", raro apud Pindarum, cfr. Ol. X, 102 *κεῖνον κατὰ χρόνον* et *κατὰ καιρόν*: Isthm. II, 22 frgm. 123, 1 127, 2, ap. Bacchylidem uno loco XIX, 26 *οὔτε κατ' εὐφεγγέας ἁμέρας οὔτε νύκτας ἀγ[νάς]*, deinde apud tragicos veluti Aeschyl. Sept. 219 *ἐμὸν κατ' αἰῶνα* alibi Sophocl. Phil. 247 *κατ' ἀρχήν* alibi.

In fragmento 14, ubi leguntur haec *πῖνε, πῖν' ἐπὶ* [20]) *συμφοραῖς*, particulae *ἐπί* subest causalis vis, quae imprimis adhibetur ad affectus animi causam denotandam. *Πίνειν* igitur verborum affectuum sicut *ἥδομαι ἄχθομαι* ex analogia hanc praepositionem adscivit; similia autem conferantur ap. Pind. Ol. XIV, 16 [14] *κῶμον ἐπ' εὐμενεῖ τύχᾳ κοῦφα βιβῶντα* Eurip. Alc. 1056 [21]) *χοροὺς ἐπ' ἐσθλαῖς συμφοραῖσιν ἱστάναι*.

Παρά particula accedit ad genus passivum, sicuti vulgo *ὑπό*,

---

[18]) ed. Rzach 1902.
[19]) it. ed. Blass 1899.
[20]) var. lect. *ἐν* a Schneidewino defensam Bergkius refutavit ad loc.
[21]) ed. Nauck 1876.

frgm. 5, 9 *σοφοῦ παρὰ φωτὸς εἰρημένον*; quamquam notione aliquid interest inter hanc praepositionem et illam (cfr. K.-G. II³, 1 § 440 a p. 510). Ex Homero huc referri potest unus locus *O* 122 *πὰρ Διὸς .. χόλος καὶ μῆνις ἐτύχθη*, ex elegiacis Solon. 13, 51 *Μουσέων πάρα δῶρα διδαχθείς*, e Pindaricis ne unus quidem, singuli e Bacchylide, cfr. XIII, 1 *εὖ μὲν εἱμάρθαι παρὰ δαί[μονος* et Aeschylo, cfr. Prom. 634 *τὰ λοιπὰ δ' ἄθλων σοῦ διδαχθήτω πάρα,* complures denique e Sophocle, de quibus conferendus Ric. Mänss, *Die Präpositionen bei Sophokles II. Teil Progr. Neuhaldensleben* 1884 p. 12 sq. Saepius sic usurpatur *παρά* a solutae orationis scriptoribus; apud quos quibus haec licentia fuerit circumscripta finibus ostendit Frid. Herm. Rau, de praepositionis *παρά* usu i. Curt. Stud. vol. III p. 26 sqq.

Ἄτερ praepositio epica et Ionica apud Homerum, ubi terdecies exstat, semper genitivo suo anteponitur, item apud Hesiodum, ubi sexies exstat, posteriores autem poetae plerumque postponere malebant, veluti apud Aeschylum decem locis postponitur, tribus antecedit substantivo; totidem apud Sophoclem, ubi praeterea octo locis postponitur; apud Pindarum quinquies praeponitur, succedit sexies; item Simonides duobus ubi exhibet locis postponit frgm. 71, 1 *ἁδονᾶς ἄτερ* v. 3 *τᾶς δ' ἄτερ.* Contra Mimnermus, qui solus ex elegiacis hac particula utitur, Homerum sequitur, cum duobus locis frgm. 1, 1 et 6, 1 praeponat substantivo.

Bis deinde *ἄνευ* praepositio prosae orationi imprimis Atticae propria apud Simonidem legitur, atque altero loco vi aucta est „sine auxilio, favore" 61, 1 *ἄνευ θεῶν*, sicut etiam apud Homerum *β* 372 *ο* 531, cfr. etiam Pind. Ol. IX, 103 Pyth. II, 42 Nem. VII, 2. Alter huius praepositionis locus apud Simonidem est 5, 2 *ἄνευ ψόγου.*

Unum habemus apud Simonidem exemplum anastrophae 53, 3 *βαλὼν Ἄναυρον ὕπερ.* Scimus autem e dilucida viri docti T. Mommsen dissertatione quae inscribitur *Beiträge zu der Lehre von den griechischen Präpositionen, Berlin* 1895, hac figura cum Pindarum tum tragicos atque imprimis Euripidem usos esse ut poeticae dictionis ornamento. Iam apud Homerum praepositionem nullam fere non in anastropha poni posse nemo nescit. Interesse autem inter Homeri consuetudinem ex ipso, qualis illius temporibus fuerit, vulgari praepositionum usu liberiore prognatam et inter posteriorum, utpote qui consulto hanc licentiam, quae ei qui tunc erat praepositionum usui repugnaret, priscam aetatem redoleret, imitati sint, Mommsenius l. c. p. 123 sqq.[22]) monet. Vel etiam certas leges huius anastrophae posteriores sibi constituerunt, cum imprimis eas praepositiones, quae e duabus syllabis brevibus sunt

[22]) cfr. etiam ibid. p. 780—791 *Exkurs* VI.

conformatae, easque genitivo plerumque postponerent. Quod eam ob causam hoc loco commemorandum duximus, quia illam quoque quam supra notavimus postpositionem particulae *ἄτερ* ab ipso Homero vitatam, a Pindaro tragicisque adamatam huic consuetudini atque gustui posteriorum poetarum tribuendam esse persuasum habemus.

Praeterea praepositio substantivo postponitur apud Simonidem 44, 2 *Μοισᾶν καλλικόμων ὑπένερθεν.*

Tmeseos quae appellatur duo sunt exempla in Simonide 5,18 *ἐπί τ' ὔμμιν εὑρὼν ἀπαγγελέω* et 40, 2 *ἀνὰ δ' ἰχθύες ὀρθοὶ κυανέου ἐξ ὕδατος ἅλλοντο.* Nec vero de huius figurae usu apud poetas non idem valet, quod de anastropha modo exposuimus.[23])

Ceterum medium locum praepositio tenet inter substantivum et attributum terdecies, cfr. 72, 2 *πορφυρέου ἀπὸ στόματος* 45, 3 *ἀμβροσίων ἐκ μυχῶν* 36, 2 *θεῶν δ' ἐξ ἀνάκτων* 40, 3 *κυανέου ἐξ ὕδατος* 53, 3 *πολυβότρυος ἐξ Ἰωλκοῦ* 37, 1 *λάρνακι [ἐν] δαιδαλέᾳ* (loco dubio) 37, 12 *πορφυρέαισιν κείμενος ἐν χλανί(σιν)* 40, 3 *καλᾷ σὺν ἀοιδᾷ* 23, 3 *δαιμονίαν ἐς ὕβριν* 80 A *μέγαν ἐς δίφρον* 12, 1 *χειμέριον κατὰ μῆνα*[24]) 5, 9 *σοφοῦ παρὰ φωτός* 23, 1 *λευκᾶς καθύπερθε γαλάνας*, quam licentiam poeticam esse nemo nescit, antecedit substantivo cum attributo coniuncto octies 5, 16 10, 3 13, 2 30, 1 37, 6. 9 58, 6 64, 1, ubique autem attributum duobus continetur adiectivis aut genitivo substantivi exceptis 5, 16, quo loco sane perspicuitatis gratia praepositio anteponitur, et 37, 9, ubi tamen quo referatur *βαθεῖαν* incertum.

5. de verbo.

a) de temporibus.

Aoristus quem gnomicum dicunt grammatici apud Simonidem suo loco legitur in sententiis universa notione instructis 39, 4 *κείνου* (sc. *θανάτου*) *γὰρ ἴσον λάχον μέρος οἵ τ' κτέ.* 59 *τοῦτο γὰρ μάλιστα φὴρ ἔστυγε πύιρ* 61, 2 *οὔτις ἄνευ θεῶν ἀρετὰν λάβεν* 65 *ὁ δ' αὖ θάνατος κίχε καὶ τὸν φυγόμαχον.*

Restat, ut de uno loco prave corrupto iudicium feramus frgm. 30. Atque, quoad quidem e fragmento hoc lacerato cognosci

---

[23]) De tmeseos usu, qualis fuerit apud poetas Graecos, uberius egit vir doctus Pierson in Mus. Rhen. nov. ser. vol. XI p. 90—128, 260—292, 379—427. Huius enumerationes suppleverunt Weigel l. c. p. 169 sqq. L. Weber, Anacreontea Diss. inaug. Gotting. 1895 p. 24. C. Bossler, de praeposit. ap. Pind. usu Diss. inaug. Giss. 1862 p. 65 sqq. H. Mrose, de syntaxi Bacchylidea Diss. inaug. Lips. 1902 p. 29. G. Schilling, *Über die Tmesis bei Sophokles. Progr. Oppeln* 1884. Jac. Schumacher, de praepositionum cum tribus cas. coni. usu Euripid. Diss. inaug. Bonn. 1884.

[24]) varia lect. prosae dictioni ut videtur adaptata: *κατὰ μῆνα χειμέριον.*

potest, habemus similitudinem tali modo conformatam, quali apud Homerum permultae leguntur. Deperdita est sententia, qua continebantur ea, quae ipsa parabola erant illustranda; quae supersunt, adeo sunt vitiata, ut in v. 4 ubinam praedicatum lateat adhuc in dubio sit; traditum enim est *τὰν δ' ἐπ' αὐχένι στρέφοιαν ἕτερον κάρα*. E remediis, quae huic loco sanando adhibuerunt viri docti, duo improbo, et Hermanni *ἔτειρεν*[25]) pro *ἕτερον*, quod in *ἔτειρ'* mutavit Hillerus, et Bergkii *μεθέπ'*. Uterque enim imperfectum substituit, cui tempori in talibus poetarum similitudinibus nusquam est locus[26]); quod quomodo Homerus vitarit ut cognoscatur, statim duo proponam exempla: *Λ* 62 *οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται . . ἀστὴρ . ., τοτὲ δ' αὖτις ἔδυ . . . · ὣς Ἕκτωρ . . . φάνεσκεν* (videlicet vitatur in similitudine imperfectum, quamquam de iterata actione verba fiunt) et *Ν* 298 *οἷος δὲ . . Ἄρης πόλεμον δὲ μέτεισι, τῷ δὲ Φόβος . . ἅμα . . ἕσπετο, ὅς τ' ἐφόβησε . . . · τὼ . . . θωρήσσεσθον*[27]) . . . *οὐδ' ἔκλυον . . . ἔδωκαν, (τοῖοι . . . ἦισαν)*. Desideratur igitur ap. Simonidem l. c. aut praesens aut aoristus.

b) de modis. **vid. infra p. 17 sq.**

c) de infinitivo.

Articulum infinitivo praepositum obiter attigimus supra p. 10. Illi quem attulimus loco frgm. 76 *τὸ δοκεῖν καὶ τὰν ἀλάθειαν βιᾶται* ex epigrammatis Simonideis quae feruntur addi potest 100, 1 *εἰ τὸ καλῶς θνήσκειν ἀρετῆς μέρος ἐστὶ μέγιστον*. Utroque loco subiecti instar est infinitivus. Neque ultra hunc illius usus finem angustiorem lyricos, qui quidem non post Aeschylum fuerint, usquam processisse evicit Francisc. Birklein, *Die Entwicklungsgeschichte des substantivierten Infinitivs* in *Beitr. z. histor. Synt. d. griech. Spr.* ed. Schanz vol. III *Heft* 1, *Würzburg* 1888.

---

[25]) *ἔτειρ'* sive *ἔτειρεν* epici usus ratione habita pro imperfecto non haberi nequit.

[26]) cfr. K.-G. II³, 1 § 386, 8 p. 162 annot. 3. Una tamen, quantum video, parabola ab hac lege est excipienda, quam Kuehn. et Gerth omiserunt, dico Empedocl. fr. 84 (cfr. Diels. ed. Poet. philos. fragm. p. 138): *ὡς δ' ὅτε τις . . . ὡπλίσσατο λύχνον, . . . παντοίων ἀνέμων λαμπτῆρας ἀμ., οἵ τ' ἀνέμων μὲν πνεῦμα διασκιδνᾶσιν ἀέντων, φῶς δ' ἔξω διαθρῴσκον, ὅσον ταναώτερον ἦεν, λάμπεσκεν κατὰ βηλὸν . . . , ὣς δὲ τότ' κτέ.*; quae huius loci licentia inde aliquid excusationis habet, quod vel ex ipsa verbi forma *λάμπεσκεν* (quacum conferas in eodem fragm. infra *διίεσκον*) vel maxime actionis iterationem premi apparet.

[27]) Falso Ebelingius in lex. Hom. annotat ad h. loc. haec: „quo loco melius imperfectum statueretur non praesens", nec magis recte fecit A. Gehring in Indic. Hom. (Lips. 1891), quod hanc formam *θωρήσσεσθον* imperfecti formis inseruit. Immo pro praesenti tempore est habenda.

Infinitivus cum duplici negatione *μὴ οὐ* coniunctus[28]) quamquam in prosa oratione inde ab Herodoto saepe formatur, nusquam tamen apud lyricos epicosque legitur ante Simonidis aetatem neque apud Pindarum Bacchylidemque, saepius tamen apud scenicos; videlicet a poetarum dictione primum quidem alienus deinde e solutae orationis consuetudine a poetis receptus est, cfr. ap. Sim. 5, 10 *ἄνδρα δ' οὐκ ἔστι μὴ οὐ κακὸν ἔμμεναι,* quod fragmentum vel ipso argumento propius ad prosae dictionis similitudinem accedit. Verbo finito quidem hae duae negationis particulae iam apud Homerum adiunguntur nonnullis locis, e quibus exempli gratia afferimus *K* 39 *δείδω, μὴ οὔ τις τοι ὑπόσχηται τόδε ἔργον.* Nec minus usitatum est Homero *οὐκ ἔστιν* cum simplici infinitivo ponere.

d) de participio.

Primum apud Simonidem exstat exemplum particulae *καίτοι* participio appositae ad sensum concessivum premendum 5, 9 *τὸ Πιττάκειον ... καίτοι σοφοῦ παρὰ φωτὸς εἰρημένον.* Quod apud recentioris demum aetatis scriptores magis in usum venit[29]), semel invenitur apud oratores Atticos Lys. or. 31 § 34. Omnino autem huius generis particulae apud epicos nondum coaluerunt, nulla voce intermissa legitur *καί τοι* nusquam nisi *N* 267[30]), *καί περ η* 224 Hes. Theog. 533. Simili modo, ut hoc statim commemoremus, *ἐπείπερ,* quod apud poetas primum exstat in Simonidis frgm. 46, 2 et deinde apud tragicos demum in usu est poetas et apud prosae orationis scriptores, apud epicos nondum in unum vocabulum concrevit, cfr. Hom. *N* 447 *υ* 181 *ἐπεὶ σύ περ,* ubi *πὲρ* ad duo ea, quae antecedunt, vocabula videtur pertinere.

6. de coniunctionibus.

Ac primum quidem hac capitis in parte pauca erunt praemonenda de eis coniunctionibus, quibus inter se adiunguntur verba vel enuntiata, deinde agetur de subiunctivis.

De *τὲ* particula epicorum more adverbii instar pronomini relativo apposita Sim. fr. 5, 7 supra dictum est, de *καί* coniunctione in apodosi sententiae hypotheticae posita 37, 14 infra erit dicendum.

Epica particula *ἠδέ* denique uno loco invenitur apud Simonidem 53, 4 *Ὅμηρος ἠδὲ Στασίχορος,* ceterum apud lyricos poetas

---

[28]) vid. etiam F. Birklein l. c. p. 19 et 49 sqq.

[29]) cfr. Herwerden., Append. lex. Gr. suppl. p. 249 s. v. *καίτοι* et K.-G. II³, 2 § 486, 4 annot. 8 p. 85.

[30]) cfr. K.-G. II³, 2 § 706, 7a p. 151 „*N* 267 *gehört καί* = ‚*auch*' *zu ἐμοί*".

raro legitur nec saepius apud tragicos atque ibi imprimis in partibus lyricis, cfr. K.-G. II³, 2 § 539, 5 annot. 2 et de elegiacorum usu potissimum Weigel. p. 204.

Reliquum est, ut eas percenseamus particulas, quibus subiunguntur enuntiata enuntiatis. Qua occasione omnino comprehendemus omnia, quae de sententiarum secundariarum structura dicenda videntur.

Ac de sententiis relativis disseruimus, ubi de pronominibus agebatur; iam pauca hoc loco sunt addenda.

Primum quidem coniunctivus modus ponitur ad generalem sententiae relativae indolem aut condicionalem vim expediendam addita particula *ἄν* 5, 3 *ὃς ἂν ᾖ κακὸς μηδ' ἄγαν ἀπάλαμνος*, sine particula, id quod prosae orationis scriptoribus non licet, lyricis tamen magis in usu fuit quam Homero[31]), 5, 11[32]) *ὃν ἀμάχανος συμφορὰ καθέλῃ* 5, 20 *ἑκὼν ὅστις ἔρδῃ μηδὲν αἰσχρόν* 58, 5 *ᾧ μὴ δακέθυμος ἱδρὼς ἔνδοθεν μόλῃ, ἵκῃ τ' ἐς ἄκρον ἀνδρ.* Alio loco 5, 14 fortasse particula *κὲ* e Platonis verbis *οὓς ἂν οἱ θεοὶ φιλῶσι* supplenda est metri causa.[33]) Deinde indicativus exstat adiuncta particula negationis *μή* ad hypotheticam notionem denotandam 5, 7 *τοῖσί τ' αἰσχρὰ μὴ μέμικται.*

Temporalis aliqua sententia porro incohabatur coniunctione *εὖτε* frgm. 73 *εὖτ' ἀηδόνες* . . . , cuius enuntiati praedicatum non est servatum. Haec particula *εὖτε*, quae Ionicae est originis[34]), in lyricorum tragicorum sermonem videlicet ex Homero recepta apud prosae orationis scriptores praeter Herodotum non legitur.

Quod autem similitudinem attinet eam, quae inest fragm. 12 *ὡς ὁπόταν* . . . *πινύσκῃ*, revocare satis habeo ad dissertationem modo allatam viri docti I. Schaub, qui p. 22 haec statuit: „Apud Homerum quamquam in parabolis cum *ὡς ὅτε* institutis (perraro *ὡς ὁπότε* invenitur) plerumque coniunctivum simplicem habeamus, nonnunquam ut nostro loco ⟨dicit Simonidis⟩ particula *ἄν* (nunquam

---

[31]) cfr. I. Schaub, de usu coniunctivi et optativi in enuntiatis lyricorum secundariis Diss. inaug. Basil. 1889 p. 56.

[32]) at *ἂν* ins. vulgo.

[33]) namque si omissa particula legeremus cum Bergkio *τοὺς θεοὶ φιλέωντι*, rhythmi gratia opus esset hoc quidem in versu 14 vocem *θεοί* duabus syllabis pronuntiare, v. 21 tamen per synizesim in unam contrahere, id quod eo minus licet, quia in singulis carminis strophis ipsae hae voces inter se accurate respondent, qua de re vid. Blass. i. Mus. Rhen. nov. ser. vol. 55 (1900) p. 92. Contra inserta particula *κὲ* in versu 14 si utroque loco *θεοί* per synizesim pronuntiamus, etiam aptus fit numerorum consensus cum versu 7 *αἰσχρὰ μὴ μέμικται* neque opus est Bergkii coniectura *μεμίγηται.*

[34]) cfr. Weigel. l. c. p. 188. P. Brandt, de particularum subiunctivarum ap. Pind. usu Diss. inaug. Lips. 1898 p. 25 sq.

κὲν) coniunctivo additur, sed nunquam invenitur *ὡς ὁπόταν*. Quod legimus apud Stesich. 36, caret enuntiato primario.“ Quibus addi potest e philosophorum poetarum fragmentis Empedocl. 23, 1, quod incipit ab *ὡς δ' ὁπόταν*. Idem vir doctus omnino in enuntiatis temporalibus, quae coniunctionibus *ὅτε ὁπότε εὖτε ἐπεί* sint insignia, Homerum saepius coniunctivo addere particulam *ἄν* vel *κὲ(ν)* quam lyricos poetas monet p. 7; quam ad rem ea conferantur, quae de relativis sententiis modo diximus.

In fragmento 37 in condicionalis sententiae apodoseos initio legitur in codicibus *κέ κεν* et *καὶ μὲν* v. 14. Quod Schneidewinus mutavit in *ἦ κεν*, deinde Blassius in *ἦ κ'*; quae nullo iure substituta esse Ahrensius iam vidit, ipse lectionem e codicum lectione probabiliorem proposuit *καί κεν*. Hoc unum autem, quo magis commendetur haec correctura, addam: apud Homerum quotiens *ἦ* particula cum *κὲν* coniuncta in apodosi periodi hypotheticae legitur, apodosis antecedit protasi; cfr. *Α* 255 *ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος* . . ., *εἰ . . . πυθοίατο* *Ρ* 38 *ἦ κέ σφιν . . . κατάπαυμα γενοίμην, εἴ κεν ἐγὼ . . . βάλω*, deinde *σ* 357 (*ἦ ἄρ' κ'*) *Α* 293 (*ἦ γάρ κεν*)[35], contra *καί κε(ν)* nusquam non legitur in apodosi, quae protasin suam excipit; cfr. *λ* 111 *τὰς εἰ μέν κ' ἀσινέας ἐάᾳς, . . . καί κεν ἔτ' . . . ἵκοισθε*, deinde *ν* 390 *ϱ* 408 *υ* 51 . 316 *Ε* 898 *μ* 138 (v. lect.). Aliter res se habet in particularum consociatione *καί νύ κε(ν)*, quae undetricies, et in *καὶ δέ κε(ν)*, quae semel exstat in apodosi praeposita.[36])

7. de adverbiis.

Sane multa, quae hac in capitis parte erant tractanda, supra nonnullis locis occupavimus, iam reliqua absolvamus potiora.

Atque particula *δή* coniungitur cum pronomine interrogativo Sim. frg. 10, 1 *τίς δὴ . . . ἀνεδήσατο;* i. e. „quis tandem“. Exempla conferenda ap. Hom. *ν* 168 *υ* 191, deinde Theogn. v. 747 Anacr. 75, 1 alia.

Porro *τοί* particula affirmativa duobus locis occurrit fr. 79 *οὗτος δέ τοι ἥδυμον ὕπνον ἔχων*[37]) et 5, 7 *πάντα τοι καλά, τοῖσί τ' αἰσχρὰ μὴ μέμικται*, scilicet altero loco in gnomica sententia. Eodem

---

[35]) *ἦ τ' ἄν* tamen in apodosi postposita septies legitur: *Μ* 69 *Π* 687 *Χ* 49 *Ψ* 275 *α* 288 *β* 219 *μ* 138 (v. lect. *καί κεν*), in anteposita semel *β* 62, atque item *Χ* 20: *ἦ σ' ἄν* (*β* 62 et *Χ* 20 sunt paene consimiles).

[36]) nec mirum, cum particulis *καί κε(ν)* postpositis apodosis coniungatur quodammodo cum protasi (vid. K.-G. II[3], 2 § 524, 1 annot. 2 p. 255), particulis *καί νύ κε(ν)* et *καὶ δέ κε(ν)* tamen universa et absoluta complexio hypothetica cum sententiis quae antecedunt.

[37]) nisi forte hoc loco pro dativo personalis pronominis est habendum (cfr. 37, 13); certius quicquam ex hoc frustulo effici non potest.

sensu affirmativo iam apud Homerum usurpatur, imprimis autem in poeseos elegiacae gnomicis plerumque dictis, quo de usu conferatur Weigel l. c. p. 213.

In fragmento 5, 4 Bergkius codicum lectionem depravatam *οὐ μὴν* mutavit in *οὐδὲ μή μιν*. Magnam tamen dubitationem movet, quod apud epicos lyricosque poetas ne unus quidem locus reperitur, qui similem praebeat structuram; namque de Theognidis versu 659 cogitari vix posse evicit A. R. Vierke in dissertatione inaug. Lips. ann. 1876 publ. iur. facta quae est de *μή* particulae cum indicativo coniunctae usu antiquiore part. I p. 61.[38]) Accedit, quod Aeschylum, qui primus hanc duplicem negationem adiecto verbo finito adhibet ad affirmativam aliquam sententiam exprimendam, indicativo futuri usum esse pro certo elici non potest, quamquam coniunctivi aoristi apud eundem non desunt exempla, cfr. Vierke l. c. part. II p. 15.[39]) Neque igitur hoc Simonidis loco licebit structuram ab illa aetate ut videtur prorsus alienam in poetae sermone novare ac fortasse *οὐδὲ μήν μιν* scribere praestabit.

Adverbium denique ponitur, ubi adiectivum exspectamus, 46, 1 *ἁ Μοῖσα γὰρ οὐκ ἀπόρως γεύει τὸ παρὸν μόνον* . . .; nec tamen in *ἄπορος* mutare Bergkio magis licet quam Elmsleio ap. Aeschyl. Ag. 801 *ἀπομούσως* in *ἀπόμουσος*. Alia exempla vid. ap. K.-G. II³, 2 § 497, 4 p. 114. Invicem adiectivum sicuti alias saepissime pro adverbio ponitur 55, 1 *πρότερος ἐλθών*. Adverbium autem *πρότερον*, quod 36, 1 exstat, aliaque singula tractabuntur in capite proximo.

---

[38]) Leni mutatione litterarum facta e librorum *τοῦτο τί* et *τοῦτο τι* in textum verborum recepit *τοῦθ' ὅτι* lectionem a Camerario commendatam ita, ut in verbis quae sequuntur *μήποτε πρῆγμα τόδ' ἔσται* futuro tempori sola accedat negatio *μή*, id quod in iurisiurandi sententiis usitatum est, cfr. K.-G. II³, 2 § 510, 4 a ζ p. 183.

[39]) *Progr. Schleiz* 1884.

Caput alterum.

De delectu verborum

1. de quibusdam vocabulorum generibus.

Iam ad alteram huius quaestionis partem, quae est de verborum delectu, aggressuri incipiamus a nonnullis vocabulorum generibus peculiariter tractandis, quae iisdem aut praefixis vel suffixis formata aut interfixis composita sunt syllabis. Quod eo magis necesse videtur, quia in his quidem verbis percensendis singula quomodo apud quos scriptores usurpata sint quaerere pernihil attinet neque quemquam ad fructum percipiendum conducit, nisi forte omnia eiusdem speciei vocabula comprehenduntur.

Atque nomina agentium primum, quae suffixa syllaba -τωϱ confinguntur, apud Homerum frequentantur. Enumerat enim Aem. Woerner in libello qui inscribitur Substantivorum Homericorum quae appellativa dicuntur ordine etymologico dispositorum index Misenae 1869 p. 47 viginti tria substantiva, e quibus hac in quaestione in censum veniunt viginti unum.

Sunt autem haec:

ἀμύντωϱ	*ἐπιίστωϱ*	*καλήτωϱ*
ἀφήτωϱ	*ἐπιτιμήτωϱ*	*κέντωϱ*
βώτωϱ	*ἔστωϱ*	*κοσμήτωϱ*
δώτωϱ	*ἡγήτωϱ*	*ληίστωϱ*
ἐπαμύντωϱ	*ἠλέκτωϱ*	*μήστωϱ*
ἐπιβήτωϱ	*θηϱήτωϱ*	*πανδαμάτωϱ*
ἐπιβώτωϱ	*ἴστωϱ*	*σημάντωϱ*

quibus accedunt nova e ceterorum epicorum vetustiorum fragmentis haec tria:

παμβώτωϱ Cypr. frgm. 1. (Epicor. Graec. frgm. ed. Kinkel).
βασιλεύτωϱ Antimach. frgm. 5
ἀβολήτωϱ Antimach. fr. 58

ex Hesiodo (qui cum Homero communia exhibet *ἴστωϱ* et *σημάντωϱ*) ne unum quidem. Inde haec nomina facta sunt ornamenta propria dictionis poeticae imprimis tragicorum, ex quibus Aeschylus maxime

in deliciis videtur habuisse, quippe qui non minus duodequadraginta exhibeat, quo e numero ne unum quidem apud Homerum legatur.[1]) Attamen apud lyricos poetas tales voces raro inveniuntur. Repetuntur autem ex Homero in elegiacis et iambicis:

δώτωρ Theogn. v. 134

deinde in philosophorum vetustiorum hexametris:

ἠλέκτωρ Empedocl. 22, 2 (Poet. philos. Gr. frgm. ed. Diels)

in melicis:

ἀγήτωρ [Terpand.] 1, 2
πανδαμάτωρ Simon. 4, 5 Bacchyl. XIII, 205
ἵστωρ Bacchyl. VIII, 44.

nova occurrunt:

γενέτωρ Xenophan. 30, 4 (Diels)
ἰάτωρ Alcm. 23, 89 (Hom. *ἰητήρ*)
ἀλέκτωρ Simon. 80 B, 1 Pind. Ol. XII, 13
ἀμύντωρ Simon. 86 (= 66 H.-Cr.) (Hom. *ἐπαμύντωρ*)
κτίστωρ Pind. frgm. 105, 2[3]

Perparvum denique numerum prosae orationis praecipue Atticae scriptores praebent, apud quos magis in usu est suffixum - *της*. Ceterum de his suffixis conferatur Mart. Luth. D'Ooge, *On the use of the suffixes τερ τορ τηρ τα in Homer.* Diss. inaug. Lips. (annum male omisit auctor).

De vocibus terminatione (*ο*)-*σύνη* instructis, quarum Simonides exempla habet 86, 1 (= frg. 66 H.-Cr.) *δυσφροσύνη* (57, 1 *πίσυνος*), uberius egit Verrall, *On some ionic elements in attic tragedie* in *The Journ. of Hell. Stud.* vol. I p. 260—292 II, 179—216, qui imprimis tragicorum Atticorum usui illustrando operam dedit, pauca disseruerunt de elegiacis quidem Weigel l. c. p. 216, de lyricis poetis in universum Rob. Holsten, de Stesichori et Ibyci dialecto et copia verborum Diss. inaug. Gryphisw. 1884 p. 55 et 70.

Arteficiosius autem, quam ut nobis persuadeat, quaestionem tractavit Verrall; id enim spectat, ut, ubicumque vox hoc exitu insignis legitur apud tragicos, poetam certis quibusdam causis, modo hac modo illa, commotum consulto Ionicae vel epicae dictionis ad imitationem se applicasse evincat, qua in re quod haud paucos locos suae argumentationi contrarios ipse repperit, minime miramur. Videntur enim haec vocabula sicuti multa alia Ionicae

[1]) Quae cum adhuc collecta esse non videamus, iam brevi ponamus in conspectu: *ἄκτωρ ἀλάστωρ ἀλέκτωρ ἀνάκτωρ ἁρμόστωρ ἀσπίστωρ ἀφίκτωρ γεννήτωρ δαίκτωρ δέκτωρ δυσευνάτωρ ἐκδέκτωρ εὐνάτωρ ἐφάπτωρ θέλκτωρ θεομήστωρ ἵκτωρ μαστίκτωρ μιάστωρ μνήστωρ νεμέτωρ οἰκήτωρ παιδολέτωρ ποινάτωρ πολυμνήστωρ πορθήτωρ πράκτωρ προσίκτωρ ῥύτωρ σάκτωρ συλήτωρ συλλήπτωρ συνδαίτωρ συνίστωρ συνοικήτωρ ταράκτωρ φιλήτωρ φράστωρ.*

epicaeque dialecto propria postea, cum a pedestri oratione nonnullis exceptis repudiarentur, poetici tamen sermonis peculiaria ac propria facta esse ita, ut, quicumque tragicorum versus audiebant, ea non ut Ionismos sed ut poetico quodam colore praedita atque imbuta acciperent. Quod eo citius fieri potuit, quia illis vocibus notiones iam apud Homerum plerumque subsunt quas dicimus abstractas, multis ethicae veluti *ἀγανο-, ἀεσι-, δολο-, σαο-, φιλο-, χαλι-φροσύνη, κερδοσύνη, κλεπτοσύνη* aliis, quod verborum genus poeticae elocutioni praecipue convenire nemo est quin videat. Neque igitur mirum, quod gnomici prae ceteris adamarunt.

Hoc unum autem viro docto Verrall porro erat respiciendum, horum verborum usum iam propterea angustioribus finibus circumscriptum esse, quod pleraque choriambicum cadunt in rhythmum veluti *γη̄θŏσῡνη̄*. Qualis syllabarum consociatio ita tantummodo in trimetrum iambicum recipi potest, ut iambis anapaesticus vel dactylus inseratur, id quod perraro licet in trimetro tragico. Quo fit, ut e duodequinquaginta eis locis, quibus voces in *-σύνη* exeuntes apud tragicos (dico Aeschyl. Sophocl. Eurip.) inveniuntur, exceptis tribus Euripideis Iph. Aul. [1431] Tro. 990 Bacch. 1302, ubi *ἀφροσύνη* occurrit, ne unus quidem exstet in iambis. Videmus igitur etiam numeros ad has voces sive vitandas sive frequentandas permultum contulisse, quo facilius iam intellegemus in metro heroo i. e. apud Homerum et apud elegiacos poetas eas magis frequentari quam apud ceteros.

Adiectivorum verbalium quae dicuntur cum permagna in usu sit copia inde ab Homero in omni genere poeticae et pedestris dictionis, praefixo *δυς-* tamen ne unum quidem invenitur in poetarum qui Simonidi aetate antecedunt versibus, apud ipsum Simonidem solum *δυσάμβατος* frgm. 58, 2, perpauca deinde apud hosce poetas:

δύσβατος Pind. Nem. VII, 97
δυσμάχητος Bacchyl. frgm. 37 A, 2 (dubium)
δυσπάλαιστος Epicharm. 254, 5 (ed. Kaibel)
δύστλητος Empedocl. 116, 1

Creberrima vero exstant apud tragicos. Namque Aeschylus quidem habet triginta [2]), Sophocles viginti, e quibus sex cum Aeschylo

---

[2]) Sunt autem haec: *δυσαγκόμιστος δυσάγκριτος δυσάλωτος δυσάρεστος δύσαρκτος δύσβατος δυσβάϋκτος δυσδάκρυτος δυσέκδυτος δυσεκλύτως δυσεύρετος δυσθέατος δυσίατος δυσκατάπαυστος δύσκριτος (-ως) δυσκύμαντος δύσλεκτος δύσλυτος δύσοιστος δυσπάλαιστος δυσπαράθελκτος δυσπαραίτητος δύσπεμπτος δυσπολέμητος δυσπόνητος δύσποτος δυστέκμαρτος δύστλητος δύσφατος δυσχάριστος*. Quae tractavit C. E. Bishop, de adiect. verb. *-τος* terminat. insignium usu Aesch. Lipsiae 1889.

communia[3]), Euripides ex uno et viginti quae exhibet undecim debet Aeschylo et Sophocli.[4]) Apud Xenophontem porro cum plus viginti eius modi conformata invenerim, ex Herodoto tamen et Thucydide afferre possum tantummodo haec:

δυσμεταχείριστος Herdt. VII, 236
δυσχείρωτος Herdt. VII, 9
δυσέμβατος Thuc. IV, 10
δυσπρόσβατος Thuc. IV, 129

Item raro occurrunt apud oratores comicosque Atticos. Vitasse lyricos haec vocabula a tragicis tam adamata apparet e vocibus, qualis est *δυσπαλής* Pind. Pyth. IV, 273 Ol. VIII, 25 collatis cum tragicis *δυσπάλαιστος* Aeschyl. Choeph. 692 Suppl. 468 Sophocl. fr. 838 Eurip. Alc. 889 Suppl. 1108 (at *ἀπάλαιστος* Pind. Nem. IV, 94).

Multa sunt Graecae linguae composita, quae efficiuntur verbo cum nomine coniuncto ita, ut nomen partem posteriorem obtineat et e verbo pendeat. Quo in compositorum genere una est species eorum, in quibus duae partes syllaba interfixa -*σι*- inter se coniunguntur, de qua conferatur praecipue dissertatio viri docti Osthoff, *Das Verbum in der Nominalkomposition im Deutschen, Griechischen, Slavischen und Romanischen. Jena* 1878 p. 169 sqq.

Huius quoque compositorum generis auctor Homerus posteriorum poetarum imitationem movit, choricorum maxime; inde etiam in pedestrem orationem serioris praecipue aetatis pedetemptim irrepserunt haec vocabula.

Exhibet enim Homerus eius modi composita viginti tria haec:

ἀερσίπους	*ἐρυσίπτολις*	*τανυσίπτερος*
ἀεσιφροσύνη	*λυσιμελής*	*τερψίμβροτος*
ἀλφεσίβοιος	*πηγεσίμαλλος*	*φαεσίμβροτος*
ἑλκεσίπεπλος	*πλήξιππος*	*φθισήνωρ*
εἰνοσίφυλλος	*πλησίστιος*	*φθισίμβροτος*
ἐννοσίγαιος	*ῥηξήνωρ*	*φυσίζοος*
ἐνοσίχθων	*ταλασίφρων*	*ὠλεσίκαρπος*
ἐρυσάρματες (plur.)	*ταμεσίχρως*	

Hesiodus decem habet cum Homero communia, unum finxit novum *ἀερσιπότητος* Opp. 777 (cfr. etiam huius imitationem *ἀερσιπότης* Scut. 316), hymnorum poetae praeter septem Homerica duo exhibent

[3]) Restant haec quattuordecim: *δυσάλγητος δυσαπάλλακτος δυσέριστος δυσθεράπευτος δυσθρήνητος δυσκάθαρτος δυσκόμιστος δυσλόγιστος δυσμαχητ(έος) δύσνιπτος δυσούριστος δυσπόνητος δυσπρόσοιστος δυσπρόσοπτος*; cfr. etiam C. E. Bishop i. *Am. Journ. of Phil.* vol. XIII.

[4]) Reliqua sunt haec: *δύσγνωστος δυσεκπέρατος δυσεξήνυτος δύσθνητος δυσξύμβλητος δυσξύνετος δυσπέρατος δυσπρόσιτος δυστόπαστος δυσφύλακτος.*

nova *κλεψίφρων λησίμβροτος*, in ceteris epicis vetustioribus unum inveni cum Homero commune (*ταλασίφρων* Panyass. frgm. 12, 10).

Elegiaci quidem et iambici poetae quantulum huic generi operam dederint, ex eo cognoscere licet, quod haud amplius quinque exhibent composita, e quibus Homerica tria haec:

λυσιμελής Archil. 85 Theogn. 838.
ταλασίφρων Tyrt. 5, 5
φαεσίμβροτος Theogn. 1183

duo nova, quae tamen ex Homericorum membris sunt conformata, haec:

ὀλεσήνωρ Theogn. 399 (Hom.: *ὠλεσίκαρπος, ῥηξήνωρ φθισήνωρ*)
λυσίκακος Theogn. 476 (Hom.: *λυσιμελής* et *ἀλεξίκακος*).

Nec vero melici poetae qui dicuntur monodici in hoc genere uberiores inveniuntur, habent enim duo Homerica:

λυσιμελής Sapph. 40, 1
τανυσίπτερος Alcae. 84, 2

unum novum epicis consimile:

τανυσίδρομος Sapph. 71.

Chorici vero poetae huic usui vel ipso Homero libentius indulgebant, scilicet cum haec composita pro aptissimis haberent suae elocutionis condimentis ac luminibus. Namque ex undetriginta Pindaricis viginti sex antea sunt ignota haec:

**ἀγησίχορος*	**ἐρασίμολπος*	**μνησιστέφανος*
**ἀμευσιεπής*	*ἐρασιπλόκαμος*	**ὀρσίκτυπος*
**ἀμευσίπορος*	*εὐρησιεπής*	**ὀρσινεφής*
**ἀναξιφόρμιγξ*	**κρατησιβίας*	**πεισιχάλινος*
**δαμασίφρων*	**κρατησίμαχος*	**ῥιψαύχην*
διώξιππος	**κρατησίπους*	**ῥυσίδιφρος*
ἐλασίβροντος (v. l. -*τας*)	**κρατήσιππος*	*σεισίχθων*
ἐλάσιππος	*λυσίπονος*	**φιλησίμολπος*
**ἐλασίχθων*	**μελησίμβροτος*	

e viginti quinque Bacchylideis duodeviginti haec:

**ἀδεισιβόας*	**δαμασίχθων*	**θερσιεπής*
**ἀερσίμαχος*	*δεξίστρατος*	**ὀρσίαλος*
**ἀναξίαλος*	**ἐρειψ* ⟨*ίλαος*⟩	**ὀρσιβάκχας*
**ἀναξιβρόντας*	**ἐρειψίπυλος*	**ὀρσίμαχος*
**ἀναξίμολπος*	**θελξιεπής*	*πεισίμβροτος*
δαμάσιππος	*θελξίμβροτος*	*τερψιεπής*

quo e numero Pindari undeviginti sunt *ἅπαξ εἰρημένα*, Bacchylidis tredecim, quae asteriscis notavimus. Quodsi utriusque poetae versuum copiae rationem habemus, Bacchylidem his epithetis novandis praecipue abundasse ac propemodum ad fastidium pervenisse cognoscimus. Quod autem omnino chorici carminis stilo hoc genus

verborum proprium fuisse diximus, ex eo monstrari potest, quod in tantulo fragmentorum numero Alcmanis Stesichori Ibyci Simonidis haud minus decem habemus composita servata; e quibus Homerica sunt tria:

ταλασίφρων Alcm. 41, 1
τανυσίπτερος Ibyc. 8
ἐννοσίφυλλος Simon. 41, 1

nova septem haec:

ἀρχεσίμολπος Stes. 77
λιπεσάνωρ Stes. 26, 5
ἐρασιπλόκαμος Ibyc. 9, 2
ὀνασίπολις Simon. 5, 3
χαραξίποντος Simon. 23, 3
δαμασίμβροτος Simon. 218
δαμασίφως Simon. 232

e quibus haec duo novissima, etiamsi quibusnam e carminibus Simonideis deprompta sint incertum est, tamen propter ipsam structuram in choricis fuisse collocata aliquo iure putanda sunt.

Tragica elocutio imprimis Sophoclea et Euripidea haec composita rarius exhibet, videlicet Aeschylus e viginti duobus praebet viginti nova haec:

ἀγησίλαος	*μνησιπήμων*	*τλησικάρδιος*
ἁρπάξανδρος	*πανσάνεμος*	*φθερσιγενής*
βλαψίφρων	*πεισίβροτος*	*φυξανορία*
δεισήνωρ	*ῥίψοπλος*	*φυξίμηλος*
δηξίθυμος	*ῥυσίβωμος*	*φυσίφρων*
ἐρειψίτοιχος	*ῥυσίπολις*	*ὠλεσίοικος*
καμψίπους	*τελεσσίφρων*	

Sophocles quinque eaque nova:

ζευξίλεως	*πανσίλυπος*	*τρυσάνωρ*
πανσανίας	*ῥαψῳδός*	

Euripides ex undecim novavit sex:

ἀρκεσίγυιος	*δεξίπυρος*	*ὀλεσίθηρος*
δεξίμηλος	*θελξίφρων*	*τελεσσιδώτειρα.*

Omnia autem huius speciei epitheta, quae apud hos tres tragicos leguntur, quoad quidem cognosci potest, in choricis partibus posita sunt perpaucis exceptis; atque in iambis quidem collocantur tantummodo haec:

ῥαψῳδός Sophocl. Oed. R. 391
δεξίμηλος Eurip. Andr. 1138 (eadem vox Phoen. 632 in trochaeis)
πανσίλυπος Eurip. Bacch. 772.

Quantum vero a vetustioris quidem orationis pedestris stilo abhorreant illa verba, cognoscere possumus veluti ex Herodoto, qui

(praeter Homericum *φυσίζοος αἶα* I, 67 in hexametro oraculi) habet tantummodo *μνησικακεῖν* VIII, 29, *ἀπομνησικακεῖν* III, 49, *δοσίδικος* VI, 42, vel e Thucydide, qui et haec tria et *λυσιτελεῖν* VI, 85 (ceterum Hippocrati iam notum, cfr. *περὶ διαίτ. ὀξ.* c. 31 vol. I p. 124 ed. Ilberg et Kuehlew.). Alios afferre longum est; hoc unum statim commemorem, cum poetica huius modi compositorum indole apte congruere, quod inde ab Homeri aetate permulta virorum feminarumque nomina inveniuntur eundem in modum formata.

Adverbia quae in -*ως* cadunt a posterioribus multa sunt efficta, quae Homero aut nondum fuerunt nota aut raro usurpata, cum apud hunc adiectivi neutrius generis accusativus fungatur adverbii munere saepius quam apud recentioris aetatis scriptores. Conferas autem ea, quae de hac re disseruit Fl. Weigel l. c. p. 145; qui exempli gratia Homerica *ἶσον ἶσα ἔτυμον* comparat cum *ἴσως* apud Theognidem et *ἐτύμως* apud Xenophanem servatum.

Similis est condicio adverbiorum *ἀλαθέως* Sim. fr. 5, 1 et *ἀεικέως* 13, 1; illud enim apud epicos, quamquam adiectivum *ἀληθής* haud raro occurrit, omnino non formatur, huius autem, quamquam etiam usitatius est in carmine heroo *ἀεικής* adiectivum, semel exstat forma contracta *αἰκῶς* *X* 336. Utrumque adverbium deinde apud tragicos demum invenitur (*ἀλαθέως* etiam ap. Epicharm. frg. 252 Kaib.).

Praeterea duo sunt adverbia Simonidea, quorum ne adiectivae quidem formae apud epicos leguntur, *ἀπόρως* 75, 1 et *ἐμμελέως* 5, 8, de quibus infra agetur; duo denique in carminibus epicis iam usitata sunt *κακῶς* et *οὕτως*.

2. de imitatione epica.

Priusquam singula vocabula Simonidea percenseamus, pauca de imitatione epica videntur dicenda. Etenim ex Homero tamquam fonte perenni poetas Graecos ad unum omnes hausisse neque quemquam fuisse, quin illi aliquid sive in materiae inventione sive in elocutione deberet, inter omnes constat. Ne igitur hac in quaestione nobilissima haec poeseos Graecae primordia obliviscamur. Quid? Nonne ipse Simonides carminis argumentum inde ab Homero se petivisse profitetur frgm. 53, 4 *οὕτω γὰρ Ὅμηρος ἠδὲ Στασίχορος ἄεισε λαοῖς*[5]), vel, si quid insuper opus est testimonii, nonne frgm. 85, 2

---

[5]) De victoria Meleagri in hoc fragmento commemorata carmine aliquo deperdito actum fuisse videtur; etenim quae de Meleagro narrantur Hom. *I* 543 sqq., vix huc videntur referenda. Secus iudicavit Hillerus, Mus. Rhen. nov. ser. vol. XLII p. 328 sqq. At nostrum non est hoc loco hanc retractare quaestionem.

ad verbum excussit praeclarissimum illud Homeri quod exstat *Z* 146 *οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν*? Adde quod in frgm. 58 in fabula de Virtute enarranda Hesiodi vestigia premit adeo, ut vel ipsa illius verba dignoscamus quae leguntur Opp. 286 sqq. Sed quoniam supra iam vidimus in verborum syntaxi permultis locis Simonidem epicorum se praebuisse sectatorem, nunc quidem quaeramus, quasnam vocabulorum consociationes sive, ut ita dicam, dicendi formulas e sermone epico deprompserit.

Huc autem vel maxime pertinent eae locutiones, quae continentur certis nominibus cum certis quibusdam epithetis coniunctis; adduntur autem eadem atque in epicis epitheta iisdem substantivis apud Simonidem haec:

frgm. 7, 1 *ἀελλοπόδων . . . ἵππων*. Hoc epithetum apud Homerum Iridi proprium (cfr. *Θ* 409 *Ω* 77.159) primum ad equorum celeritatem significandam adhibetur in hymn. Ven. 218 *ἵπποισιν ἀελλοπόδεσσιν*, item apud Pindarum Nem. I, 6 *αἶνον ἀελλοπόδων μέγαν ἵππων* frgm. 221 *ἀελλοπόδων . . . ἵππ. τιμαί . . .*, inde ad currum transfertur Pyth. IV, 18 *δίφρους ἀελλόποδας*. Sophocles exhibet Oed. R. 466 *ἀελλάδων ἵππων*.

frgm. 15, 2 *ἀρούραισι πυροφόροις*. Item Hom. *M* 314 *ἀρούρης πυροφόροιο* et pluralis numerus *Ξ* 122 *ἄρουραι πυροφόροι*. Pro *ἄρουρα* invenitur *πεδίον*: Hom. *Φ* 602 Theogn. 988, *γῆ*: Solon. 13, 20 24, 2 = Theogn. 720. Conferas denique *πεδίον πυρηφόρον* Hom. *γ* 495 h. Apoll. 228.[6])

frgm. 23, 1 *λευκᾶς . . . γαλάνας*. Similiter Hom. *κ* 94 *λευκὴ δ' ἦν ἀμφὶ γαλήνη*.

frgm. 30, 1 (*Δώτιον*) *ἀνθεμόεν πεδίον*. Vide ad hunc locum h. Merc. 96 *πεδί' ἀνθεμόεντα* vel etiam similia haec: *B* 467 *ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ ἀνθεμόεντι* *μ* 159 *λειμῶν' ἀνθεμόεντα* Hes. Theog. 878 *κατὰ γαῖαν ἀνθεμόεσσαν*, deinde *B* 695 h. Ven. 170 Hes. frgm. 16.

frgm. 37, 4 *φίλον χέρ'*. Adiectivum *φίλος* partibus corporis humani apud Homerum ceterosque imprimis epicos poetas persaepe apponitur vi debilitata ita, ut pronomen possessivum reflexivum substitui possit; atque ad *χείρ* quidem apud Homerum *H* 130 *P* 620 *Y* 479 *λ* 211 *μ* 331 *φ* 433 *Ψ* 99, praeterea ad *γυῖα γούνατα λαιμός θυμός ἦτορ* alia.

frgm. 51, 1 *πορφυρέας ἁλός*. Purpureus color mari iam in carminibus epicis persaepe attribuitur. Eadem locutio atque apud Simonidem exstat *Π* 391 *ἐς δ' ἅλα πορφυρέην*, deinde ap. Alcman. fr. 60, 5 *ἐν βένθεσι πορφυρέας ἁλός* Semon. Amorg. 1, 16 Eurip. frgm. 882.

---

[6]) ed. Gemoll 1886.

frgm. 53, 2 *δινάεντα ... Ἄναυρον ὕπερ.* Hoc epithetum etiam apud epicos fluminibus sive in universum sive certis quibusdam est proprium. Nec vero usquam sicuti apud Simonidem praeponitur substantivo suo, praepositio autem ubi exstat, mediam tenet partem excepto uno loco Hom. *Φ* 206. Ceterum e magna copia afferre satis habeo haec exempla: Hom. *B* 877 *E* 479 *Θ* 490 Hes. Theog. 337 Panyass. fr. 18, 3 Antimach. fr. 57. Praeterea duo exempla inveniuntur apud Bacchylidem XII, 77 . 164.

frgm. 57, 2 *ἀενάοις ποταμοῖσιν.* Primum legitur ap. Hes. Opp. 737 *αἰενάων ποταμῶν*; recurrit apud epicos multo recentioris aetatis.

ibid. *ἄνθεσί τ' εἰαρινοῖσιν.* cfr. Hom. *B* 89 *ἐπ' ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν* et Cypr. frgm. 3 *ἐν ἄνθεσιν εἰαρινοῖσιν.*

frgm. 79 *ἤδυμον ὕπνον.* Huius locutionis exempla collegit L. Meyer, *Handbuch der griechischen Etymologie, Leipzig.* vol. I (a. 1901) p. 616 sq. s. v. *ἤδυμος* et vol. II (a. 1902) p. 256 sq. s. v. *νήδυμος. Νήδυμος* autem, cuius de vocis stirpe atque significatione iam antiquitus diceptabant[7]), Homero esse tribuendum, *ἤδυμος* Simonidi nonnullisque aliis, qui illum sint imitati nec tamen recte interpretati, evicit Brugmannus in *Indog. Forschungen* vol. XI (a. 1900) p. 278 sq. Habendum igitur videtur hoc *ἤδυμος* pro etymologiae testimonio antiquo quam nos dicimus vulgarem. —[8])

Reliquae locutiones epicae apud Simonidem servatae sunt hae:

frgm. 5, 16 *μοῖραν αἰῶνος* pro simplici ponitur vitae notione, id quod epici stili imitationem sapit, cfr. p. 47 sq.

frgm. 5, 17 *εὐρυέδεος ὅσοι καρπὸν αἰνύμεθα χθονός.* Cui loco epicae sententiae exemplo fuerunt, quales sunt apud Homerum *Z* 142 *βροτῶν, οἳ ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν* *Φ* 465 *ἀρούρης καρπὸν ἔδοντες* *ϑ* 222 *ὅσσοι νῦν βροτοί εἰσιν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες* *ι* 89 *οἵ τινες ἀνέρες εἶεν ἐπὶ χθονὶ σῖτον ἔδοντες.* Imitatus est Horatius carm. II, 14, 10.

frgm. 8, 1 *Πολυδεύκεος βία.* Videlicet Simonides Homeri locorum rationem habuit *Γ* 105 *P* 187 *Σ* 117 *Y* 307 *X* 323 al., eodem modo *βία* vocabulum usurparunt Pind. Ol. I, 91 [88] Pyth. XI, 61 alibi, Bacchyl. V, 181; de tragicorum usu diligenter egerunt Ric. Schenk l. c. p. 15 sqq. Herm. Rackwitz l. c. p. 42 sqq. Praeterea totum hoc circuitionis genus adumbratum invenies K.-G. II^3, 1 p. 280.

frgm. 36, 2 *θεῶν . . . ἀνάκτων.* Conferas Hom. *μ* 290

[7]) cfr. La Roche, *Homerische Textkritik* p. 315.

[8]) His addas *ἐξ ἀδήλων: τριγλώχιν ὀιστός* frgm. 248, cfr. Hom. *E* 393 *ὀιστῷ τρ.* *Λ* 507 *ἰῷ τρ.*, similiter *Θ* 297 *τανυγλώχινας ὀιστούς.*

θεῶν ἀέκητι ἀνάκτων eandemque vocem *ἄναξ* singulis deis apud Homerum passim attributam.

frgm. 41, 1 *ἀήτα . . . ἀνέμων.* Apud epicos utriusque substantivi aut singularis numerus ponitur, cfr. *Ο* 626 *ἀνέμοιο δὲ δεινὸς ἀήτη*, aut pluralis, cfr. *Ξ* 254 *ἀργαλέων ἀνέμων . . ἀήτας* Hes. Opp. 621 *παντοίων ἀνέμων . . ἀῆται*, deinde singulorum ventorum nominibus additis *δ* 567 *ζεφύροιο . . ἀήτας* Hes. Opp. 675 *Νότοιο . . . ἀήτας*, quocum conferas Bacchylid. XVI, 91 *βορεὰς . . . ἀήτα. Ἀήτη* usurpatur praeterea *ι* 139 Hes. Opp. 645, ubique de venti flatu. Paulum ab his differt Anacreon fr. 25, 2 *πτερύγων ἀήταις* translatione usus haud illepida.

frgm. 58, 6 *ἵκῃ τ' ἐς ἄκρον ἀνδρείας.* Apud Homerum legitur proprio sensu *Ψ* 339 *ὡς ἄν τοι πλήμνη γε δοάσσεται ἄκρον ἱκέσθαι κύκλου ποιητοῖο* *ι* 483 = 540 *ἐδεύησεν δ' οἰήιον ἄκρον ἱκέσθαι*, item Hes. Opp. 291 *ἐπὴν δ' ἐς ἄκρον ἵκηται* (sc. *οἶμος*), translata notione sicut apud Simonidem primum invenitur in elegiacis, cfr. Tyrt. frgm. 12, 43 *ταύτης νῦν τις ἀνὴρ ἀρετῆς εἰς ἄκρον ἱκέσθαι πειράσθω θυμῷ*, vid. deinde Empedocl. 4, 8 *σοφίης ἐπ' ἄκροισι* Pind. Nem. VI, 23 *πρὸς ἄκρον ἀρετᾶς ἦλθον* Isthm. III, 50 *πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι* Aeschyl. fr. 352 *πόνου γὰρ ἄκρον . .* trag. adesp. fr. 547, [5] *ἐπ' ἄκρον τοῦ καλῶς πράττειν* alibi.

frgm. 63 *ἔσχατον δύεται κατὰ γᾶς* i. e. „moritur"; quod ex epico sermone est depromptum, cfr. Hom. *Γ* 322 *Ζ* 19 al.

frgm. 65 *ὁ δ' αὖ θάνατος κίχε κτέ.* En similia apud Homerum *Ρ* 478 . 672 *Χ* 436 *νῦν αὖ θάνατος καὶ μοῖρα κιχάνει* *Ι* 416 *μ' ὦκα τέλος θανάτοιο κιχείη*, neque aliter usurpatur *ὄλεθρος* alia; deinde vid. Mimn. 6, 2 Solon. 20, 4 *μοῖρα κίχοι θανάτου* alibi.

frgm. 75, 2 *δῶρον ἀμπέλου.* Comparentur loci epici Hom. *Γ* 54 . 64 h. Cer. 102 al.

3. de vocabulis singulis.

Extrema huius dissertationis parte de singulis verbis Simonideis iam accuratius erit quaerendum. Geminum autem esse eius modi quaestionis fructum existimamus. Etenim cum ad ipsius Simonidis poesin melius percipiendam aliquantum valet tum omnino ad Graecam linguam, qualis tum fuerit, quemadmodum per tempora adoleverit, quasnam mutationes inierit, cognoscendam confert.

Nimirum hoc quoque in proposito incipiendum erit ab eis vocabulis, quae iam in epicis carminibus leguntur, percensendis.

Atque ea quidem omnia, quae apud Homerum primum leguntur, in indice dissertationis in calce adiecto invenies signo

notata, quae sane maiorem complectuntur partem omnium Simonidis vocabulorum. Hoc loco ea tantummodo tractabuntur, quorum in usu aliquid nobis offertur memorabile.

Ex eis autem, quae notione non mutata leguntur apud Homerum, selegimus haec:[9])

ἀηδών. fr. 73 *εὖτ' ἀηδόνες πολυκώτιλοι, χλωραύχενες, εἰαριναί.* Semel commemoratur ap. Hom. τ 518, bis ap. Hes. Opp. 203 frgm. 203, deinde Theogn. 939 Sapph. 39 Ibyc. 7 alibi, e quibus Sapphus fragmentum *ἦρος ἄγγελος ἱμερόφωνος ἀηδών* exscribimus propter eorum verborum, quibus Simonides hirundinem salutat, similitudinem, cfr. Simon. fr. 74 *ἄγγελε κλυτὰ ἔαρος ἁδυόδμου, κυανέα χελιδοῖ.*

ἀῆτα. fr. 41, 1 *ἐννοσίφυλλος ἀῆτα.* De hac voce conferas etiam ea, quae supra annotavimus p. 29 ad epicam locutionem *ἀῆτα . . ἀνέμων.* Imprimis epicae dictioni est propria, vid. locos supra exscriptos, a prosa oratione alienam esse docet Plato Crat. 410 B *οἱ γὰρ ποιηταί που τὰ πνεύματα ἀήτας καλοῦσιν*; item tragici videntur vitasse; substituerunt enim *ἄημα*: Aesch. Ag. 1418 Eum. 905 Soph. Ai. 674, *ἄησις*: Eur. frgm. 781, 46 Rhes. 417.

βίοτος. fr. 55 *βιότου κέ σε μᾶλλον ὤνασα.* Duae sunt huius vocis notiones, altera victus, altera vitae; e quibus illa magis viget apud epicos; usurpatur enim *βίοτος* apud Homerum pro victu tricies semel, pro vita novies (*Δ* 170 *Η* 104 *Ν* 563 *Π* 787 *α* 287 *β* 218 *ε* 394 *μ* 328 *ω* 536), in hymnis pro vita bis (h. Cer. 495 h. XXIX, 18), apud Hesiodum septies pro victu, pro vita nusquam, denique in ceterorum epicorum vetustiorum fragmentis, quantum video, semel pro vita (Choeril. Iäs. v. 6 p. 309 Kink.). Contra lyrici semper *βίοτον* dicunt vitam, cfr. Mimn. 2, 10 Theogn. 624 . 730 . 905 vel e philosophis Empedocl. 15, 2 115, 8, deinde Anacr. 43, 3 Pind. Ol. I, 100[97] II, 32[29] . 69[63] VIII, 87 X, 23 Nem. VII, 98 Isthm. III, 23 (IV, 5), excepto Solone, cfr. fr. 13, 50, eodemque modo tragici pro vita saepius accipi volunt, raro pro victu. Sublimiori autem sermoni tantummodo proprium fuisse *βίοτος* iam ex eo apparet, quod in pedestri oratione Attica nullo loco invenitur, deinde, quod Aristophanes comicus huius vocis usum in anapaestis tantum sibi indulsit, cfr. Av. 718[10]) Eccles. 594 . 669 Plut. 526. *Βίος* invicem victus notionem induit primum ap. Hesiod. Opp. 31 Solon. fr. 13, 72, deinde saepius.

---

[9]) In omni enumeratione alphabeticum servabimus ordinem, ita tamen, ut singulis vocabulorum generibus distinctis primum afferamus substantiva, deinde adiectiva, tum verba, denique reliqua vocabulorum genera.

[10]) ed. Meineke 1860.

γ ᾶ ρ υ ς. fr. 41, 2 *μελιαδέα γᾶρυν.* Rarum vocabulum poeticum, ap. Hom. semel legitur *Δ* 437 *οὐ γὰρ πάντων ἦεν ὁμὸς θρόος οὐδ' ἴα γῆρυς*; praeterea eiusdem stirpis inveniuntur iam in epicis carminibus *μελίγηρυς* et *γηρύομαι*; lyrici habent *γᾶρυς* (Bacchyl. V, 15 XIV, 48) et *γαρύω*, tragici et haec et *γήρυμα* (Aesch. Eum. 569 Eur. fr. 627, 2), *μειλιχόγηρυς* habet Tyrt. 12, 8.

δ ε ῖ μ α. fr. 37, 3 *δείματί ⟨τ'⟩ ἤριπεν.* *Ἅπαξ λεγόμενον* ap. Hom. *E* 682 *δεῖμα φέρων Δαναοῖσι,* porro occurrit h. Cer. 294 Theogn. 870 Pind. Pyth. IV, 97 V, 58 Isthm. VIII (VII), 12, saepius apud tragicos et in pedestri oratione, vitarunt tamen oratores Attici.

ἐ λ π ί ς. fr. 5, 16 *ἐς ἄπρακτον ἐλπίδα.* Apud Homerum bis exstat in locutione *ἔτι γὰρ καὶ ἐλπίδος αἶσα* *π* 101 *τ* 84, deinde legitur apud Hesiodum ter: Opp. 498. 500. 96 (hoc loco est nomen proprium), tum saepius in carminibus iambicis et elegiacis, sed nusquam in melicis ante Simonidis aetatem, persaepe tamen apud Pindarum Bacchylidem tragicos prosae orationis scriptores excepto Herodoto.

ἡ μ ί θ ε ο ς. fr. 36, 2 *υἷες ἡμίθεοι.* Apud Homerum semel in Iliade *M* 23 *ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν,* qui locus nonnullis recentioris originis visus est, cum alibi semper *ἥρωες ἄνδρες* exstet sive *ἥρωες.* Deinde legitur saepius, cfr. h. XXX, 19 XXXI, 19 Hes. Opp. 160 Alcman. 23, 7 Callin. 1, 19 Pind. Bacchyl. Eurip. al.

π α ν δ α μ ά τ ω ρ. fr. 4,5 *ὁ πανδαμάτωρ ἀμαυρώσει χρόνος.* Accedit hoc epithetum apud Homerum ad somnum *Ω* 5 *ι* 373; praeterea ante Simonidis aetatem non traditum, imitatus autem Simonideum *π. χρόνος* haud inepte dictum videtur esse Bacchylides XII, 205, recurrit eadem locutio in epigrammate quarti fere p. Chr. saeculi 1050, 4 (Kaibel): *πανδαμάτωρ δὲ χρόνος εἷξεν ἀρηγοσύνῃ.* Apponitur autem *πανδαμάτωρ* alias praecipue dis, sicut ap. Sophocl. Phil. 1467 *χὠ πανδαμάτωρ δαίμων,* in Orph. hymn., ap. Apoll. Rhod., morti in epigr. 430, 2. Simonideo simile est Sophoclis illud de tempore dictum fr. 868 *χρόνος δ' ἀμαυροῖ πάντα.*

π ό τ μ ο ς. fr. 4, 2 *καλὸς δ' ὁ πότμος.* Hoc vocabulum poeticum apud Homerum quidem non exstat nisi ubi de morte verba fiunt[11]), cfr. *B* 359 *θάνατον καὶ πότμον ἐπίσπῃ* alia, unde factum est, ut vel ipsa vox mortis vim acciperet et tamquam per euphemismum pro *θάνατος* poneretur veluti *Σ* 96 alibi. Item Simonides usurpat, cum l. c. clarissimum praedicet obitum eorum, qui apud Thermopylas pro patria mortui sunt; deinde apud Pindarum et tragicos plerumque in universum est sors seu mala seu bona, raro mors.

---

[11]) uno loco excepto *κ* 245. Ibi enim de fato Ulixis comitum agitur, qui a Circe in sues sunt conversi, quippe quod fatum mortis sit simile.

ἀκήρατος. fr. 64, 1 *παρὰ χρυσὸν ἑφθὸν ἀκήρατον.* Duae sunt apud Homerum voces eiusdem formae, originis tamen diversae[12]); e quibus altera legitur duobus locis *O* 498 *ϱ* 532, altera, de qua hoc loco res est, *Ω* 303 epithetum aquae videlicet a stirpe *κερα-* „miscere“ derivandum eademque significatione praeditum, qua epithetum affine *ἄκρητος* „non mixtus“ „purus“ et *ἀκηράσιος.* Idem apponitur auro sicut apud Simonidem Alcm. 23, 20 Herodot. VII, 10, myrrhae II, 86.

ἀμάχανος. fr. 5, 11 *ἀμάχανος συμφορά.* Epici iam exhibent figuram *ἀμήχανα ἔργα* de malis dictam, contra quae nullum valet remedium, recte Etymol. M. 83, 25 *πρὸς ἃ οὐκ ἔστι [τὶς] μηχανὴν εὑρεῖν· ἐξ οὗ δεινὰ καὶ χαλεπά.* Cfr. etiam *Θ* 130 *Λ* 310 h. Merc. 447 Cercop. fr. (1) v. 1 p. 70 (Kink.). Similem in modum Archil. fr. 66, 1 *ἀμηχάνοισι κήδεσιν*; e melicorum numero conferas Pind. Pyth. II, 19 Bacchyl. I, 171, e tragicorum Sophocl. Ant. 363 Elect. 140 atque potissimum idem epithetum eidem atque apud Simonidem vocabulo adiectum bis in Eurip. Med. 392 *ξυμφορά μ' ἀμήχανος* 552 *συμφορὰς ἀμηχάνους.*

ἀπειρέσιος ἀπείρων. fr. 40, 1 *ἀπειρέσιοι . . ὄρνιθες* fr. 5, 6 *ἀπείρων γενέθλα.* Haec duo adiectiva, quorum utrumque iam apud Homerum significat „ingens multitudine“ „innumerabilis“, poetarum dictionis sunt propria, vid. *ἀπειρέσιος* ap. Hom. *ι* 118 *τ* 174 alibi (*ἀπερείσιος* *Α* 13 . 372 *Π* 178 al.) Hes. fr. 33, 3 134, 4 Theogn. 8 Stes. 85 Soph. Ai. 929, *ἀπείρων*: Hom. *Ω* 776 alibi Hes. Theog. 678 alibi Theogn. 237 Stes. 5, 2 (Ibyc. 2, 2) Bacchyl. VIII, 30 Pind. Pyth. II, 64 Emped. 28, 1 39, 1. Contra *ἄπειρος* pedestri orationi magis convenit, attamen inde a Pindaro tragicisque etiam in poetarum sermonem receptum est, cfr. Pind. fr. 130, 8[13]) Sophocl. fr. 483 Eurip. fr. 941. Primum exstat in versibus ap. Xenophan. 28, 2 *ἐς ἄπειρον,* nisi forte hoc quoque loco ab *ἀπείρων* haec forma est repetenda, deinde Ibyc. 2,2, ubi sunt qui *ἀπείρονα* coniecerint.

ἄπρακτος. fr. 5, 16 *ἐς ἄπρακτον ἐλπίδα* fr. 39, 1 *ἄπρακτοι . . μελῃδόνες.* Apud Homerum, ubi quidem personae adicitur, significat eum, qui infecta re abit *Ξ* 221, ubi ceteris substantivis, aut rem, contra quam nihil potest effici, i. e. molestam, aut qua nihil effici potest vel quae perfici non potest, i. e. vanam.[14]) Ad illam vim conferas Hom. *μ* 223 *ἄπρηκτον ἀνίην* *β* 79 *ἀπρήκτους ὀδύνας*, addas Semon. Amorg. 7, 20 *ἄπρηκτον αὐονὴν ἔχει,* ad hanc *B* 121 *ἄπρηκτον πόλεμον* *μ* 376 *μετ' ἀπρήκτους ἔριδας καὶ νείκεα,* addas lyricorum locos

[12]) cfr. L. Meyer l. c. vol. I p. 39 sqq.

[13]) An *ἀπείρον'* scribendum?

[14]) Male Boeckhius inter *ἄπρηκτος* et *ἄπρακτος* significationis esse discrimen statuit, cfr. not. crit. in h. l. ed. vol. I p. 575, 1.

Theogn. 1031 . 1075 Pind. Isthm. VIII (VII), 7 et, ubi supplenda est substantivi notio, Semon. Amorg. 1, 7 Theogn. 461 Bacchyl. fr. 12 (de IX, 8 quicquam certi dici nequit); eodem sensu Simonides vanas hominum curas dicit fr. 39, 1, vanam spem fr. 5, 16. Item de spei vanitate dictum Anthol. Pal. VII, 583, 6 *τὸ βρέφος ἀπρήκτοις ἐλπίσι τικτόμενον* XII, 145, 2 *ἀπρήκτοις ἐλπίσι μαινόμεθα* (similiter Solon fr. 13, 36 *χάσκοντες κούφαις ἐλπίσι τερπόμεθα*).

ἄρεκτος. fr. 69 *οὐκέτ' ἄρεκτον ἔσται.* Eadem forma eadem vi instructa semel apud Homerum exstat *T* 150 *ἔτι γὰρ μέγα ἔργον ἄρεκτον.* Alio sensu Hesiodus praebet *ἀνεπίρρεκτος* Opp. 748 de vasis nondum consecratis.

βρότεος βροτός. fr. 57, 6 *βρότεοι παλάμαι* fr. 41, 3 *ἀκοαῖσι βροτῶν* fr. 61, 2 *οὐ πόλις, οὐ βροτός.* Quibus e duabus formis apud epicos haec est usitatissima ac plerumque substantivi notionem exhibet, illa legitur semel ap. Hom. *τ* 545 *φωνῇ δὲ βροτέῃ,* praeterea Hes. Opp. 416 *βρότεος χρώς* h. Ven. 47 *βροτέης εὐνῆς,* apud choricos tragicosque forma *βρότε(ι)ος* crebrior est; Simonides in eo ab Homero distat, quod masculinam formam apponit feminino *παλάμαι*; ambigunt autem de huius modi adiectivorum generis usu, cfr. B. Delbrueck, *D. Grundl. d. griechischen Syntax* in Delbrueck, *Synt. Forschungen* vol. IV p. 65 Hal. Sax. 1879. Utraque vox est poetica, legitur tamen apud posteriores prosae orationis scriptores veluti Platonem Aristotelem nonnullis locis.

δασπλής. fr. 38, 1 *δασπλῆτα Χάρυβδιν.* Quod Simonides hoc epitheto utitur, studium quoddam Homeri mihi videtur redolere, legitur enim apud hunc *ο* 234, ubi genus femininum *δασπλῆτις* adiungitur furiae. De origine et notione valde ambigunt, cfr. Ebeling., lex. Homeric. s. v. Recurrit autem apud recentioris demum aetatis scriptores veluti ap. Euphor. fr. 52, 1 ed. Meineke (in Anal. Al.), imprimis apud Nonnum.

ἐραννός. fr. 45, 3 *ἐραννὸν ὕδωρ.* Adamarunt Homerus formam *ἐρατεινός,* Hesiodus elegiaci Pindarus Bacchylides *ἐρατός* (semel ap Hom. *Γ* 64), quamquam etiam *ἐρατεινός* exhibent excepto Bacchylide, in hymnis toties utraque forma legitur, tragicis sola placet vox *ἐρατός. 'Ερανvός* denique occurrit tribus locis Homericis *I* 531 . 577 *η* 18, tribus Sapphicis frgm. 77 85, 3 88, uno Bacchylideo XVI, 42; fortasse Aeolicae est originis.

κυάνεος. fr. 40, 3 *κυανέου ἐξ ὕδατος* (deinde legitur 37, 8 74, 2). Nusquam epici aequoris colorem cum cyani comparaverunt; etenim apud Homerum *λευκός γλαυκός πολιός πορφύρεος κελαινός μέλας* maris sunt epitheta, *κυάνεος* quamquam alias frequentatur, mari attribuitur ne uno quidem loco. Similis tamen atque apud Simonidem l. c. est usus apud Euripidem Iph. T. 7 *κυανέαν ἅλα* 392

κυάνεαι σύνοδοι θαλάσσας Hel. 179 *κυανοειδὲς ἀμφ' ὕδωρ* et apud Bacchylidem XII, 124 *ἐν κυανανθέϊ . . . πόντῳ* (de mari tempestate agitato).

μελιαδής. fr. 41, 2 *μελιαδέα γᾶρυν*. Iam in heroo carmine non solum proprio sensu de sapore dicitur, verum etiam translate, sic de somno *τ* 551, de vita *K* 495 *P* 17 *λ* 203, de reditu in patriam *λ* 100, de vocis dulcedine nusquam, nec tamen hanc metaphoram alienam fuisse ab epico sermone discimus ex adiectivo *μελίγηρυς*: *μ* 187 *μελίγηρυν ... ὄπ'*, h. Apoll. 519 h. XVIII, 18 *μελίγηρυν ἀοιδήν*, cfr. Alcman. fr. 26, 1 *παρθενικαὶ μελιγάρυες ἱμερόφωνοι* et addas *μελίφωνος* epithetum Sapphicum (frgm. 129) alia.

ξανθός. fr. 47, 2 *ξανθὸν μέλι*. Ante Simonidem non traditum est nisi capilli attributum vel etiam virorum feminarumve propter capilli, equorum propter iubae colorem, cfr. Eustath. ad. Hom. 423, 27 *ἔπαινος δὲ κόμης παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ ξανθόν*. Sic persaepe apud Homerum, deinde Thebaid. fr. 2, 1 (p. 11 K.) Hes. Theog. 947 fr. 93, 7 110, 5 Theogn. 828 . 1291 Anacr. 1, 2 21, 1 excepto uno loco Ibyci fr. 8 *πετάλοισιν ἐπ' ἀκροτάτοισι ξανθοῖσι*, ubi tamen de lectionis dubitatur integritate. Simonides dicit *ξανθὸν μέλι* contra epicorum usum; invenimus enim apud hos mellis colorem significatum adiectivo *χλωρός*, cfr. *Λ* 631 *κ* 234 h. Merc. 560, item *μέλι χλωρόν* dicit Stesichorus fr. 2, 2.

πίσυνος. fr. 57, 1 *νόῳ πίσυνος*. Haec vox sicuti omnes terminatione *-σύνη* insignes Iadi est propria, cfr. Herodot. I, 66 . 73 II, 141 V, 92 VII, 10 . 85 VIII, 143, legitur apud epicos elegiacos melicos scenicos poetas, in prosa Attica non nisi ter apud Thucydidem II, 89 V, 14 VI, 2. Ceterum conferas ea, quae de eius generis vocabulis exposuimus p. 21 sq.

σιδάρεος. fr. 8, 3 *σιδάρεον Ἀλκμήνας τέκος*. Iam in epicis carminibus improprie usurpatur; duae autem sunt notiones, quarum alteram cognoscimus veluti ex Odysseae loco *ε* 191 *οὐδέ μοι αὐτῇ θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι σιδήρεος, ἀλλ' ἐλεήμων*, est igitur „inflexibilis' „νηλεής", item *X* 357 *ψ* 172 (*θυμός*) *Ω* 205 . 521 (*ἦτορ*) *δ* 293 Hes Theog. 764 (*κραδίη*), alteram e *μ* 280 *οὐδέ τι γυῖα κάμνεις· ἦ ῥά νυ σοί γε σιδήρεα πάντα τέτυκται*, ubi significat videlicet „qui fatigari nequit" „*ἀκάματος*", item *Ψ* 177 *ἐν δὲ πυρὸς μένος ἧκε σιδήρεον* quocum conferas *ἀκάματον πῦρ* *E* 4 *O* 731 *Π* 122 alibi; eodem sensu Simonides Herculem appellat *σιδάρεον* i. e. indefessum.

ὑγιής. fr. 5, 4 *ὑγιὴς ἀνήρ*. Est *ἅπαξ εἰρημένον* apud epicos· invenitur enim solo Homeri loco *Θ* 524 *μῦθος δ', ὃς μὲν νῦν ὑγιής . . . .* Apud elegiacos iambicosque et apud melicos praeter Simonidem non legitur nisi bis apud Solonem fr. 13, 38 . 62 utroque loco de corporis valetudine dictum, Pindarus exhibet formas

ὑγίεις Ol. V, 23 et ὑγιηρός Nem. III, 18; e tragicis semel praebet Sophocles Phil. 1006, saepius Euripides, quorum uterque non nisi ad mentis ac rationis valetudinem significandam adhibet sicuti Simonides l. c. Frequentatur in soluta oratione.

αἰνέω. fr. 57, 1 τίς κεν αἰνήσειε . . Κλεόβουλον . . De hac voce vid. infra p. 54 sq. s. v. ἔπαινος.

ἀλέγω. fr. 37, 10 (ἅλμαν) . . . οὐκ ἀλέγεις. Ἀλέγειν ἀλεγίζειν ἀλεγύνειν voces sunt poeticae praecipue herois carminibus propriae, in quibus plerumque adiecta negatione leguntur, sicut etiam apud Simonidem l. c. In ceteris choricis carminibus ἀλέγειν est „recensere“ „enumerare“, cfr. Alcm. 23, 2 (οὐκ ἐγὼν) Λύκαισον ἐν καμοῦσιν ἀλέγω Pind. Ol. II, 86[78] Πηλεύς τε καὶ Κάδμος ἐν τοῖσιν ἀλέγονται; inde etiam „cum laude recensere“ i. e. „laudare“ „celebrare“, cfr. Pind. Ol. XI, 15 τῶν Ἐπιζεφυρίων Λοκρῶν γενεὰν ἀλέγων (uno loco „curare“ „fovere“ „foventem adesse“ Isthm. VIII (VII), 46). Semel exstat apud tragicos Aeschyl. Suppl. 751, ubi epicorum more usurpatur: βωμὸν (v. l. βωμῶν) ἀλέγοντες οὐδέν.

ἀραρίσκω. fr. 41, 3 γᾶρυν ἀραρεῖν ἀκοαῖσι βροτῶν. Huius verbi iam in epicis versibus duplex est vis et transitiva aptandi et intransitiva se aptandi sive congruendi; hanc quidem Simonides exhibet translatam ad cantum, qui in hominum aures se insinuat. Similiter Homerus δ 777 τελέωμεν μῦθον, ὃ δὴ καὶ πᾶσιν ἐνὶ φρεσὶν ἤραρεν ἡμῖν, subest autem hoc loco placendi notio a Simonidis, ut videtur, aliena.

ἀωτέω. fr. 37, 5 σὺ δ' ἀωτεῖς (de var. lect. vid. indic.). A voce ἄωτος derivandum esse negat Buttmannus, Lexilog. part. II p. 18; nec desunt qui etiamsi ἀωτεῖν non ab ἄωτος, attamen utrumque vocabulum ab eadem stirpe repetere voluerint, veluti Clemm in Curt. Stud. vol. II p. 61; videtur tamen omnino de communi origine desperandum esse, cfr. L. Meyer l. c. s. v. ἀωτέεν et ἄωτος vol. I p. 17. In tanta dubitatione solis nitendum est locis, quibus tradita est vox ἀωτεῖν duobus Homericis ad interpretandam: *K* 159 ἔγρεο Τυδέος υἱέ· τί πάννυχον ὕπνον ἀωτεῖς; κ 548 μηκέτι νῦν εὕδοντες ἀωτεῖτε γλυκὺν ὕπνον; utroque loco accusativus ὕπνον verbo accedit, quo tamen ad dormiendi notionem efficiendam opus non esse e Simonidis loco cognoscere licet; videtur autem apud Homerum idcirco appositus esse, ut πάννυχος et γλυκύς, quibus vocibus dormiendi modus ac ratio depingitur, habeant quo referantur; est igitur accusativus interioris obiecti, verbo autem ἀωτεῖν ipsi mera inest vis dormiendi sicut verbo εὕδειν ap. Homerum ϑ 445 εὕδησθα γλυκὺν ὕπνον. Quod Schmidtius in libro qui inscribitur *Synonymik der griechischen Sprache* vol. I p. 467 contendit de sopore alto esse accipiendum, ex tribus his locis concludi posse negamus. Wilamo-

witzius [15]) quidem, cum de notione aliqua vigendi sive florendi cogitandum censeat, nescio an ad derivationem illam ab *ἄωτος* spectet plane incertam. Aliud fuisse verbum *ἀωτεύειν* ab *ἄωτος* vel *ἄωτον* deductum testantur Suidas: *ἀωτεύειν · ὑφαίνειν* et Eustath. ad. Hom. 1429, 19 *ἐκεῖ δὲ κεῖται καὶ ὅτι ἀωτεύειν, τὸ ὑφαίνειν καὶ ὑπνοῦν · τοῦτο μὲν ἐκ τοῦ πάννυχον ὕπνον ἀωτεῖς, ἐκεῖνο δέ, ἐκ τοῦ ὑφαινομένου ἀώτου, ἐρίου δηλαδὴ ἢ λίνου.*

βλώσκω. fr. 58, 5 *ἱδρὼς . . . μόλῃ.* Apud Homerum invenitur non nusquam (simplex verbum septies), semel ap. Hesiodum fr. 134, 10, in hymnis deest. Ex elegiacorum et iambicorum reliquiis haud amplius tria exempla repperi Mimn. 12, 10 Sol. 21, 1 Semon. Am. 7, 107, e melicorum, qui ante Simonidem floruerunt, ne unum quidem. Magis vero adamarunt hoc verbum Pindarus et Bacchylides, imprimis autem tragici usurparunt saepissime; a pedestri sermone et a dictione comica prorsus fere abhorret [16]); Doricae esse originis videtur, namque legitur apud Epicharmum ter: fr. 99, 8 . [10] 170, 5, praeterea apud Aristophanem Lys. v. 984, quae Lacedaemonii sunt verba; quo facilius, quod apud choricos frequentatum sit, explicatur; inde in tragicorum usum abiit, nam quod Rutherfordius l. c. e vetustiore Atthide receptum esse contendit, plane caret argumentis.

βομβέω. fr. 1 *ἐβόμβησεν θάλασσα.* Ad maris fluminumque strepitum significandum alias usurparunt voces epici poetae hasce: *δοῦπος*: *ε* 401 *μ* 202 *ἐρίδουπος*: *κ* 515 *Υ* 50 *ἠχήεις*: *Α* 157 *καναχηδά*: Hes. Theog. 367 *βρέμειν, -εσθαι*: *Β* 210 *Δ* 425 *κελαδεῖν*: *Σ* 576 *Φ* 16 *κελαρύζειν*: *Φ* 261 *ε* 323 *παφλάζειν*: *Ν* 798 *ῥοχθεῖν*: *ε* 402 *μ* 60 *σμαραγεῖν*: *Β* 210. Apud recentiores *βομβεῖν* potissimum dicitur de apium vel culicum susurro, cfr. Aristot. Hist. Anim. IV, 535 ^{b}, 6 627 ^{a}, 24 628 ^{b}, 20 alibi.

δίζημαι. fr. 5, 16 *τὸ μὴ γενέσθαι δυνατὸν διζήμενος.* Vocabulum est Ionicum, cfr. Heraclit. fr. 22 . 101 Democrit. fr. 108 bis . 191 (Diels) Herodot. I, 67 . 94 . 139 . 214 II, 66 . 147 . 156 III, 41 . 53 alibi et *ἐπιδίζημαι* I, 95 V, 106. E dialecto Ionica in poeseos epicae sermonem fluxit, atque legitur quidem apud Homerum terdecies, in hymno Mercuri quater, ap. Hesiodum bis; nec minus in philosophorum et elegiacorum carmina pervenit, cfr. Parmenid. 8, 6 (*δίζησις* apud eundem 1, 33 4, 2 6, 3 7, 2) Phocyl. 8, 2 10 14 Theogn. 83 . 180 . 183 . 403 . 415 . 1300; in melicis apud poetas Ionia tantum-

---

[15]) *Philol. Unters.* IX, 147.

[16]) E soluta oratione unum locum inveni Xenoph. Anab. VII, 1, 33. Apud Aristophanem ceterosque comicos Atticos ubi occurrit, exceptis locis choricis, tragici stili imitatio latere videtur; cfr. Rutherford., *Zur Geschichte des Atticismus* (*übers. von* Funck) in *Jahrb. f. klass. Phil.* Suppl. 13 p. 391.

modo oriundos occurrit, videlicet Anacr. 4, 2 Bacchyl. I, 177 XVII, 60. Atticis est inusitatum, semel exstat ap. Aeschyl. Suppl. 821.

εἰδέναι. fr. 5, 3 *εἰδώς γ' ὀνασίπολιν δίκαν.* Heroi carminis simplicitatis est nihil interponere discriminis inter ea, quae ad ethicam, et ea, quae ad intellectualem quam dicimus animi indolem pertinent. Quapropter verbum *εἰδέναι* saepe adhibitum videmus ad morum aut virtutes aut vitia exprimenda. Ac dicuntur quidem homines *εἰδέναι*: *αἴσιμα*: *O* 207 alib. *ἀμύμονα*: *τ* 332 *ἄρτια*: *E* 326 alib. *ἤπια*: *Π* 73 alib. *κεδνά*: *α* 428 h. Ap. 313 alib. *κεχαρισμένα*: *ϑ* 584 *πεπνυμένα*: *δ* 696 Hes. Opp. 731 alib., item *ἄγρια ἀϑεμίστια ἀπατήλια* multaque alia. Quibus in locutionibus frequentatur participium *εἰδώς*; idem autem a Simonide ponitur eodem quo ab epicis sensu instructum in fragmento modo allato. Ceterum hanc verbi *εἰδέναι* notionem apud Sophoclem tantum deprehendimus Ant. 301 *παντὸς ἔργον δυσσέβειαν εἰδέναι.* Quomodo reliqui usurparint, intellegitur exempli gratia ex Eurip. fr. 841, 2 *αἰαῖ, τόδ' ἤδη ϑεῖον ἀνϑρώποις κακόν, ὅταν τις εἰδῇ τἀγαϑόν, χρῆται δὲ μή.*

ἔλλαμι. fr. 49 *καὶ σὺ μέν, εἴκοσι παίδων μᾶτερ, ἔλλαϑι.*[17]) Similiter di invocantur formula *ἵληϑι* iam in Homericis *γ* 380 (invocatur Minerva) *π* 184 (invocatur Ulixes, quippe qui pro deo habeatur) vel etiam in hymnis, cfr. XIX, 8 XXII, 4 XXXIII, 17, et apud posterioris aetatis poetas.

ἐσοράω. fr. 58, 4 *οὐδὲ πάντων βλεφάροις ϑνατῶν ἔσοπτος.* Hoc compositum Iadi peculiare (cfr. Herodot. II, 138 IV, 68 I, 9 [v. l.] V, 91 [v. l.]) inde in epicam dictionem migravit imprimis Homeri, apud quem passim legitur. Quo e carminum genere omnino in poeticum stilum est receptum cum lyricorum, cfr. Archil. 74, 6 Mimn. 5, 2 = Theogn. 1018 Solon. 27 a, 2 (ed. Hiller-Crus.) Theogn. 58 . 426 . 780 . 858 . 890 . 977 . 1110 . 1318 Sapph. 2, 7 (coni.) Anacr. 25 Pind. Ol. VIII, 19 Isthm. VIII (VII), 36 Bacchyl. XII, 139 seriores, tum tragicorum; sed a prosa oratione prorsus fere alienum, neque enim aut apud Thucydidem aut apud oratores Atticos ullo loco invenitur, ceterum raro. Item a comoediae vetustioris sermone abhorret, nam quod Aristophanes praebet Thesm. 905, illudit tragicos, respicit enim ad Eurip. Hel. 557 sqq.; praeterea apud eundem comicum semel exstat in versibus choricis Thesm. 1150.

εὕδω. fr. 37, 15 sq. *κέλομ' εὗδε βρέφος, εὑδέτω δὲ πόντος, εὑδέτω ⟨δ'⟩ ἄμετρον κακόν.*

ϑνήσκω. fr. 4, 1 *τῶν ἐν Θερμοπύλαισι ϑανόντων.* Duo haec verba nulla praepositione adiuncta frequentantur a poetis magis

---

[17]) Aeolica haec forma, quam scite olim defendit Schneidewinus, ultro firmatur Bacchylidis papyro, cfr. X, 8, ubi compellatur *Νίκα*.

quam composita *καθεύδω* et *ἀποθνήσκω*, quae in prosa oratione semper fere[18]) usurpantur pro simplicibus (at *τέθνηκα* simplex ponitur). Atque de tragicorum quidem usu vocum *θνήσκειν* et *ἀποθνήσκειν* disseruit Rutherfordius l. c. p. 389; cui in eo, quod simplex *θνήσκειν* apud illos pro vetustioris Atthidis vestigio habendum censet, non assentior. Parum enim respicit epicorum et lyricorum consuetudinem, quae sane eadem est ac tragicorum. Namque legitur *εὕδειν* apud Homerum Hesiodum in hymnis sexagies, *θνήσκειν* quinquies et octogies (perfecti formas non curavimus), contra *καθεύδειν* septies, *ἀποθνήσκειν* bis; deinde apud lyricos *εὕδειν*: Solon. 4, 19 32 a, 3 (ed. Hiller-Crus.) Theogn. 469 . 1043 . 1045 . 1063 1336 Alcman. 60, 1 . 6 Simonid. l. c. Pind. Ol. XIII, 67 Pyth. I, 6 Isthm. VII (VI), 17 fr. 131, 4. — *θνήσκειν*: Callin. 1, 19 Semon. Am. 1, 17 2, 1 Tyrt. 10, 14 11, 13 Solon. 21, 2 Theogn. 245 . 709 878 . 931 . 1069 . 1193 . 1328 Stesich. 51 52 Simon. l. c., ap. Pindarum undeviginti locis, Bacchyl. I, 183 III, 47 XII, 166.[19]) Quibus locis opponi possunt paucissimi hi: *καθεύδειν*: Hippon. 61, 1 Theogn. 471 Sapph. 52, 4 Anacr. 88, 2. — *ἀποθνήσκειν*: Callin. 1, 5 Anacr. 50, 1 (in tmesi) Pind. Ol. II, 27 Isthm. VII (VI), 30 (in tmesi).

His locorum copiis collatis facere non poterimus, quin hanc consuetudinem non tragicis solis verum omnino poetis propriam epicae dictionis exemplo atque auctoritati adscribamus, quam quantopere poetae ceteri sectati sint in propatulo est. Utebantur igitur his verbis simplicibus tragici quoque non ut Atthidis vetustioris reliquiis ex originibus tragoediae receptis, sed ut poeticis e notissimis carminibus epicis assumptis. Quae vero de his vocibus diximus, ea de multis aliis a Rutherfordio prolatis evinci posse existimamus sicuti de *αἰνέω* et *ἐπαινέω*, de quibus conferatur Rutherfordius l. c. p. 362 huiusque dissertationis p. 54 sq., at nostrum non est hoc loco in illis argumentis refutandis morari.

ἔχω. fr. 5, 10 *τοῦτ' ἔχοι γέρας* fr. 37, 5 *οἷον ἔχω πόνον* fr. 70, 2 *ἔχει . . ὑγίειαν* fr. 79 *ὕπνον ἔχων*.

ἴσχω. fr. 51, 1 *ἴσχει δέ με . . . ὀρυμαγδός*. Interest apud Simonidem sicuti ubique apud epicos inter formas *ἔχειν* et *ἴσχειν*, quod huic vis subest tenendi, illi mera habendi; quae differentia posterioribus temporibus pedetemptim evanuit, conferatur veluti Pind. Pyth. XI, 29 *ἴσχει τε γὰρ ὄλβος οὐ μείονα φθόνον*.

---

[18]) *καθεύδω* ap. oratores Atticos Thucydidemque semper, *εὕδω* Herodot. I, 34 . 209 Heraclit. frgm. 1 . 21 . 26 bis (Diels) Xenophon. Cyneg. V, 11 Platon. al. — *ἀποθνήσκω* ap. oratores Atticos semper, *θνήσκω* haud paucis locis ap. Hippocratem, ap. Thuc. II, 51 ter, deinde ap. Plat. Aristot.

[19]) Praeterea *καταθνήσκειν* ipsum quoque poeticum compositum invenitur Alcae. 20, 2 30, 2 Sapph. 62, 1 68, 1 alibi.

πέκω. fr. 13, 1 *ἐπέξαθ' ὁ Κριὸς* ... Aristophanes Nub. 1356 initium carminis Simonidei dicit *ᾆσαι Σιμωνίδου μέλος, τὸν κριὸν ὡς ἐπέχθη,* cuius ipsa verba servavit schol. ad. loc. Translata autem notione hac voce, quae antea non nisi tribus locis legitur scil. ap. Hom. *Ξ* 176 *σ* 316 („pectere") Hesiod. Opp. 775 („tondere"), Simonides utitur de athleta, qui adversarium male mulcat.

πινύσκω. fr. 12, 1 *ὁπόταν* .. *πινύσκῃ Ζεὺς ἄματα* .. Homerus habet *Ξ* 249 *με* .. *τεὴ ἐπίνυσσεν ἐφετμή* item activo sensu; intransitive usurpatur *ἀπινύσσω* *O* 10 *ε* 342 *ζ* 289, quibus locis Aristophanes legi iubet *ἀπινύσκ-* contra ceterorum auctoritatem. Activam vim exhibet forma in *-σκω* cadens praeterea Aeschyl. Pers. 830 *ἐκεῖνον* .. *πινύσκετ' εὐλόγοισι νουθετήμασι* Callimach. Dian. 152 *σε, θεή, μάλα* .. *πινύσκει* Hesych. *ἐ†πινύσκειν· διδάσκειν*, intransitivam nusquam. Haec omnia poetarum sermoni esse propria testatur Eustath. ad Hom. Il. p. 983, 20. Nullam esse causam expellendi hoc loco recte statuitur Stephan. Thes. vol. VI p. 1098 s. v. *πινύσκω*: „sed et hic *πινύσκειν* accipi queat pro *σωφρονίζειν*, ut Iupiter hybernos dies dicatur *πινύσκειν,* quum eos veluti castigat et ex asperis ac frigidos flatus spirantibus leniores serenioresque ac tepidiores reddit: quod per alcyonios dies accidere solet, silente etiam ac pacato mari eo tempore". Inde Bergkius vocabuli elegantiam non animadvertisse monuit, qui coniecturis temptent, item Schneidewinus hanc lectionem defendit.

στυγέω. fr. 59 *ἔστυγε πύρ.* Vox poetica et Ionica (cfr. Herodot. VII, 236); legitur apud epicos lyricos tragicos, ter apud Aristophanem, cfr. Rutherford. l. c. p. 390. Simonides eandem exhibet aoristi formam atque Homerus a radice *στυγ-* derivatam, cfr. *P* 694 *κ* 113, tragici aoristum a stirpe *στυγε-* fingunt *ἐστύγησα*, cfr. Aeschyl. Suppl. 528 *στυγήσας* Eurip. Tro. 705 *στυγήσῃς*; de lectione *στυγόντες* Aeschyl. Suppl. 80 dubitatur.

χρή. fr. 68, 2 *χρὴ λόφον ἐγγενέσθαι.* Haec vox poeticae pedestrique orationi convenit, *δεῖ* huic magis quam illi, quamquam pedetemptim etiam in versus irrepsit, cfr. ea, quae observarunt Fl. Weigel l. c. p. 194 et T. Mommsen l. c. p. 666 sq.

Sequitur, ut ea vocabula Simonidea enumeremus, quae etsi apud Homerum leguntur, tamen aut notione aut usu aliquo modo sunt diversa:

ἀκοά. fr. 41, 3 *γᾶρυν ἀραρεῖν ἀκοαῖσι βροτῶν.* Propriam atque genuinam vim tenet actionis audiendi, inde etiam comperiendi, veluti apud Homerum *μετὰ πατρὸς ἀκουήν*: *β* 308 *δ* 701 *ε* 19 *ξ* 179 *ρ* 43, porro transfertur aut ad ea, quae audiuntur, cfr. *Π* 634, ubi de strepitu pugnantium dicitur, vel Pind. Pyth. I, 84 . 90, ubi de

fama, aut ad sensum, quo audimus, sive ad aures. Sic primum usurpatur ap. Sapph. fr. 2, 12 *ἐπιῤῥόμβεισι δ' ἄκουαι* (Catullus „tintinnant aures") et apud Simonidem l. c. E tragicis praesto sunt exempla ex Eurip. Iph. T. 1496 *φήμην ἀκοαῖσι δέδεγμαι* Phoen. 1480 *εἰς ἀκοὰς . . ἥκει,* atque singularis numerus eodem sensu ponitur Aeschyl. Prom. 689 Sophocl. Phil. 1412; nec vero a prosa oratione haec substantivi notio est aliena.

ἀλάθεια. fr. 76 *τὸ δοκεῖν καὶ τὰν ἀλάθειαν βιᾶται.* Huius vocis usus apud epicos angustioribus finibus circumscriptus est in eo, quod accusativus casus tantummodo invenitur isque verbis comperiendi vel dicendi subiunctus [20]); alius casus primum exstat apud Alcae. 57 Solon. 10, 2, deinde saepius. Videlicet *ἀλήθεια* apud poetas epicis minores vim accepit magis generalem seu quam nos dicimus abstractam.

βλέφαρον. fr. 58, 4 *βλεφάροις θνατῶν ἔσοπτος.* Epici proprie dicunt palpebras cilia, cfr. Hom. ι 389 τ 212 *T* 17 *Ω* 637; quamquam multi loci ita sunt comparati, ut partem pro toto oculo usurpatam possis subaudire, cfr. *P* 438 δ 114 ϑ 522 alib. Hesiod. Theog. [910] fr. 188, 14 h. Merc. 278; audacius Simonides l. c., ubi quin ad ipsos oculos sit translatum minime est dubium; eadem est licentia apud posteriores poetas.

βρέφος. fr. 37, 15 *εὗδε βρέφος.* Homerus solus dicit foetum *Ψ* 266 *ἵππον . . βρέφος ἡμίονον κυέουσαν,* quem ad locum antiqui iam annotarunt interpretes *βρέφος] ἐναντίως ἡμῖν τὸ ἔμβρυον, τὸ δὲ τεχθὲν ἔμβρυον*; ponit enim Homerus invicem *ἔμβρυον* pro pullis lactentibus ι 245 . 309 . 342 *καὶ ὑπ' ἔμβρυον ἧκεν ἑκάστῃ,* qua in re haud minus contra posteriorum facit usum; cfr. etiam scholl. ad ι 245. Homerica illa vocis *βρέφος* significatio videtur esse genuina, cfr. Curtius, *Grundz. d. gr. Etym.*[5] p. 478, L. Meyer l. c. vol. III p. 122. Ceterum *βρέφος* usurpatur non nisi de pullis animalium, veluti ap. Herodot. III, 153, aut de infantibus, sicut ap. Pind. Ol. VI, 33 Pyth. IX, 62 Aeschyl. Agam. 1096 ap. Eurip. persaepe.

ἔρως. fr. 23, 2 *εὐπρόσωποι . . παράιξαν ἔρωτες.* Cupidinis tamquam personae primum apud poetas lyricos mentio fit veluti ap. Sapph. 40, 1 42, 1 74 Ibyc. 1, 6 2, 1 Anacr. 2, 1 14, 2 47, 1 alibi, nec tamen de compluribus Cupidinibus ante Simonidis aetatem ullo loco apud poetas res est; Pindaro quidem vocis *ἔρως* in universum pluralis est sollemnior quam singularis, illo autem numero ad amoris voluptates vel omnino ad hominum studia ac desideria significanda utitur saepius quam ad Cupidines, cfr. Nem. III, 30 XI, 48 fr. 123, 1 128, 1; qua e significatione complurium Amorum

---

[20]) excepto uno loco Hes. Opp. 768, ubi etiam v. lect. *ἀληθείῃ.*

opinio videtur manasse [21]), de quibus cfr. apud eundem Nem. VIII, 5 *τῶν ἀρειόνων ἐρώτων ἐπικρατεῖν δύνασθαι. οἷοι καὶ Διὸς Αἰγίνας τε λέκτρον ποιμένες ἀμφεπόλησαν Κυπρίας δώρων* et fr. 122, 4 *ματέρ' ἐρώτων οὐρανίαν . . . πρὸς Ἀφροδίταν*; similiter Bacchyl. VIII, 73 loco admodum laeso *ὦ μ]ᾶτ[ερ ἀγ]νάμπτων ἐρώτων* et apud tragicos veluti Eurip. Bacch. 405 Med. 844.

ἦθος. fr. 37, 6 *γαλαθηνῷ δ' ἤθεϊ* (de var. lect. vid. indicem). Haec vox apud Homerum non nisi de sedibus consuetis animalium i. e. de stabulis usurpatur *Ζ* 511 *Ο* 268 *ξ* 411, primum morum consuetorum sive indolis ingenii consuetudinis vim induit apud Hesiodum Opp. 67.78.137.699 Theog. [66], idem de sedibus hominum exhibet Opp. 167.222.525. Apud ceteros poetas semper de indole atque consuetudine dicitur exceptis paucis locis veluti Pind. Pyth. IV, 258 Aeschyl. Suppl. 64 Eur. Hel. 274. Herodoto utraque significatio est nota, cfr. II, 35 (mores) cum I, 15 (sedes).

κλαΐς. fr. 23, 3 *ναΐας κλαΐδος χαραξιπόντου.* E variis significationibus, quae huic vocabulo insunt iam in poesi epica, nulla quidem in hunc locum cadit. Neque enim accipi potest illud *v. κλαΐδος χαραξιπόντου* nisi de ea navis parte dictum, quae mare sulcat, i. e. de carina aut de clavo, quamquam neque hanc neque illam vocis potestatem usquam alibi in scripta memoria Graeca deprehendimus.

κόσμος. fr. 4, 9 *ἀρετᾶς μέγαν λελοιπὼς κόσμον.* Vox inde ab epicorum carminibus frequentata; primum tamen apud Simonidem significat gloriam honorem laudem; quae notio inde a Simonidis temporibus magis videtur in usum venisse, cfr. Pind. [22]) Nem. II, 8 Isthm. VI (V), 69 Bacchyl. III, 95 al., Simonidis similis est Timothei locus fr. 13 (ed. Wilamow. 1903) *κλεινὸν ἐλευθερίας τεύχων μέγαν Ἑλλάδι κόσμον.*

λάρναξ. fr. 37, 1 *λάρνακι [ἐν] δαιδαλέᾳ.* Legitur bis apud Homerum; est autem capsa vel urna e metallo confecta, in qua altero loco Volcanus instrumenta sua condit *Σ* 413 *(λάρνακ' ἐς ἀργυρέην)*, altero mortui ossa colliguntur *Ω* 795 *(χρυσείην ἐς λάρνακα)*. Simonidis quidem in carmine agitur de cista quadam lignea (cfr. *δούρατι χαλκεογόμφῳ* v. 7), qualibus ad liberos ex adulterio natos seu aliam ob causam vel una cum matre exponendos utebantur, cfr. Apollod. bibl. II, 4, 1, 3 *τὴν θυγατέρα* (Danaam) *μετὰ τοῦ παιδὸς εἰς λάρνακα βαλὼν ἔρριψεν εἰς τὴν θάλασσαν* et similia de Danaa

---

[21]) Roscher, *Ausführl. Lexikon d. gr. Mythol.* I, 1348, 8.

[22]) Quamquam Simonides Pindaro aetate antecedit, tamen fieri potest, ut vocem aliquam vel peculiarem cuiusdam vocabuli usum utrique poetae communem prior exhibeat hic, non ille; quod cum in singulis vocibus tractandis ostendi nequeat, neglеximus.

in schol. ad Apollon. Rhod. Argon. IV, 1091, deinde Pausan. III, 24, 3 *ὑπὸ τοῦ Κάδμου φωραθεῖσα* (Semele) *ἐς λάρνακα αὐτὴ καὶ Διόνυσος ἐμβληθείη*. Diodor. V, 62 *τὸν δὲ πατέρα . . . τὴν θυγατέρα* (Rhoio ab Apolline gravidam) *εἰς λάρνακα συγκλείσαντα βαλεῖν εἰς τὴν θάλασσαν*, vel etiam Hesychii illud *ἐκ λάρνακος· νόθος*. Quod Bacchylides eidem substantivo idem epithetum attribuit V, 141 *δαιδαλέας ἐκ λάρνακος*, haud scio Simonidem an imitatus sit. Diversus tamen apud eum l. c. *λάρνακος* est usus.

λόγος. fr. 58, 1 *ἔστι τις λόγος*. Apud Homerum haud amplius duobus locis legitur ibique dativus pluralis *O* 393 *α* 56, idem casus ac numerus h. Merc. 317 Hesiod. Theog. 890, accusativus Opp. 78 . 789 Theog. 229 (nom. propr.), singularis non nisi uno loco Opp. [106], qui serioris videtur esse originis; deinde singularis exstat ap. Tyrt. 12, 1 Alcae. 49, 1 71 alibi.

μνᾶστις. fr. 4, 3 *πρὸ γόων δὲ μνᾶστις*. Ante Simonidis aetatem non traditum nisi semel apud Homerum *ν* 280 *οὐδέ τις ἧμιν δόρπου μνῆστις ἔην* et Alcm. 64 *ἔστι παρέντων μνᾶστιν ἐπιθέσθαι*, videlicet verbi alicuius circumscribitur notio; item apud Herodotum VII, 158 *οὕτω δὴ Γέλωνος μνῆστις γέγονε* et ap. Sophocl. *ἴσχειν μνῆστιν* bis, cfr. Ai. 520 . 1269. Apud Simonidem aucta vi dicitur de recordatione honorifica; aeque ap. Sophocl. fr. 145, 2 *ἁ δὲ μνᾶστις θνατοῖς εὐποτμοτάτα μελέων* et seriores. Ceterum a prosa quidem oratione est alienum neque aut apud ceteros lyricos legitur aut apud tragicos exceptis Sophoclis locis supra allatis, quibus accedit Ai. 523; deinde Alexandrini usurparunt poetae. Attica vox est *μνεία*.

ξεινοδόκος. fr. 84, 7 (= 59, 1 H.-Cr.) *ξεινοδόκων δ' ἄριστος ὁ χρυσὸς ἐν αἰθέρι λάμπων*. Lexicographi nobis tradiderunt *ξεινοδόκος* et *ξεινοδοκεῖν* a Simonide et Pindaro usurpatum esse pro *μάρτυς* et *μαρτυρεῖν*, cfr. imprimis Apollon. Soph. Lexic. Hom. p. 117, 25 (Bekker): *ξεινοδόκος ξενοδόκος, ὁ τοὺς ξένους ὑποδεχόμενος, ὁ δὲ Πίνδαρος „ξεινοδόκησέν τε δαίμων“*[23]) *ἀντὶ τοῦ ἐμαρτύρησε, καὶ ἐν τῇ Ὀδυσσείᾳ „ξεινοδόκος μὲν ἐγὼ“*[24]) *ἔδοξέ τισι λέγειν. φησὶ γοῦν Σιμωνίδης „ξεινοδόκων δ' ἄριστος ὁ χρυσὸς ἐν αἰθέρι λαμπρός“ ἀντὶ τοῦ μαρτύρων*. Praeterea Hesychius testatur eandem subiectam esse potestatem composito medio *ἐπιξενοῦσθαι : ἐπιξενοῦσθαι· μαρτύρεσθαι· πορεύεσθαι Σοφοκλῆς Ἀχαιῶν Συλλόγῳ καὶ Αἰσχύλος Κρήσσαις*.[25]) Alterum est Hesychii glossema: *ἐπιξενοδόκευμαι· ἐπιμαρτύρομαι*, quod Schmidtius mutavit in *ἐπιξενοῦμαι· ξενοδοκοῦμαι·*

---

[23]) Pind. fr. 311.

[24]) vid. Hom. *σ* 64.

[25]) vid. Sophocl. fr. 149 Aeschyl. fr. 120 (Nauck²).

ἐπιμαρτύρομαι, cum rationem haberet alterius loci Aeschylei Agam. 1320 *ἐπιξενοῦμαι ταῦτα δ' ὡς θανουμένη*, haud scio an recte; neque enim, hoc loco propriam verbi notionem si servamus, quam indicat Pollux Onomast. III, 58 *τὸ μέντοι ξένον ὄντα εἰς ἄλλην πόλιν ἐλθεῖν ξενοῦσθαι καὶ ἐπιξενοῦσθαι ἔλεγον*, quicquam offendit in sententiarum conexu; videlicet Cassandra captiva Agamemnonis aedes ingressura chorum alloquitur hisce verbis: „venio equidem peregrina idque ut moriar"; alii temptarunt alia. Quomodo factum sit, ut *ξεινοδόκος ξεινοδοκεῖν ἐπιξενοῦσθαι* testis testandi antestandi notionem induerint, vix explicari potest, nulla sane sunt moris aut legis vestigia, quibus testimonium unquam hospitem hospitis loco praestitisse evincatur. Quod vero M. Glaser, *Die zusammengesetzten Nomina bei Pindar, Progr. Amberg* 1898 p. 32 contendit ipsis quidem his vocibus nusquam hanc vim infuisse, illatam tamen certo quodam consilio a Simonide et Pindaro per verborum lusum atque agnominationem, refutatur Hesychii glossematis modo allatis, quibus latius patuisse hunc usum edocemur. In soluta oratione *ξε(ι)νοδοκέω ξενοδόκος* perraro leguntur, cfr. Herodot. VI, 127 *ξεινοδοκέοντος πάντας ἀνθρώπους* Xenophon. Oecon. IX, 10 *ξενοδοχίας* Plat. Rep. IV, 419 *ξενοδοκοῦντες*, apud Thucydidem oratoresque Atticos ne uno quidem loco.

σακός. fr. 4, 6 *ἀνδρῶν ἀγαθῶν ὅδε σακὸς . . .* De stabulis gregis ap. Hom. Σ 589 ι 219 . 227 . 319 . 439 κ 412 Hes. Opp. 787, apud posteriores transfertur ad spatium saeptum numinum sacrum i. e. ad fanum sive templum cum deorum tum heroum, deinde ad spatium saeptum manium sacrum i. e. sepulcrum; quam vocis vim primum deprehendimus apud Simon. l. c., deinde Eurip. Bacch. 11 *ἄβατον τίθησι θυγατρὸς σηκόν.* Viderunt hanc significationis varietatem iam antiqui, cfr. Hesych. *σηκός· οἶκος, τάφος, ναός, μάνδρα, ἐνδότερος τόπος τοῦ ἱεροῦ.*

σιγά. fr. 66 *σιγᾶς ἀκίνδυνον γέρας.* Epici dativum tantummodo exhibent *σιγῇ* pro adverbio „silentio" „tacite", genitivum deinde Pindarus fr. 180, 2, nominativum Aeschyl. fr. 188, alii denique alios casus; vide autem ea, quae ad *ἀλάθεια* supra annotavimus p. 40.

σοφία. fr. 70, 1 *καλᾶς σοφίας . . . χάρις.* Cfr. ea, quae de *σοφός* infra exponemus p. 52.

τάφος. fr. 4,3 *βωμὸς δ' ὁ τάφος.* In carmine heroo non est sepulcrum ut apud Simonidem, sed ipsa sepultura sive funus, inde etiam ludi funebres et epulae funebres, utpote quae partes primariae funeris sint; primam notionem conferas Ψ 619 Ω 660 . 804 δ 547, alteram Ψ 680 ω 87, tertiam Ψ 29 γ 309 Hesiod. Opp. 735; at in Scut. Herc. 477 est sepulcrum. Item Pindarus ponit pro sepulcro Isthm. VIII (VII), 57 pariterque tragici plerisque locis.

φθόγγος. fr. 37, 11 *ἀνέμου φθόγγον*. Apud epicos semper de sonitu vocis humanae vel animalium dicitur[26]), *φθέγγεσθαι* ubique de voce humana itemque apud lyricos; excipiendi tamen nonnulli loci, quibus ad instrumenta musica transfertur, h. Merc. 484 *φθεγγομένη παντοῖα* (cithara) Theogn. 759 *φόρμιγξ δ' αὖ φθέγγοιθ' ἱερὸν μέλος* Stes. 44 (*Μοῦσα*) . . *ἐρατᾷ φθεγγομένα λύρᾳ*. De strepitu, quem res inanimae edunt, primum usurpatur apud Simonidem l. c. eodemque modo apud Pindarum *φθέγμα* vox antea inusitata Pyth. IV, 198 *ἐκ νεφέων δέ οἱ ἀντάυσε βροντᾶς αἴσιον φθέγμα*, porro *φθόγγος* ap. Eurip. Iph. Aul. 9 *οὔκουν φθόγγος γ' οὔτ' ὀρνίθων, οὔτε θαλάσσης* Hippol. 1205. Sunt autem omnes huius stirpis voces poetico sermoni sollemniores quam pedestri Musae.

χρόνος. fr. 4, 5 *ὁ πανδαμάτωρ ἀμαυρώσει χρόνος* fr. 32, 2 *ὅσσον χρόνον ἔσσεται* fr. 62, 2 *ὀλίγῳ δὲ χρόνῳ* [fr. 193 *πολεμεῖν τῷ πολλῷ χρόνῳ*]. De hoc substantivo idem valet, quod de *ἀλάθεια* supra p. 40. exposuimus; neque enim huius quoque apud epicos legitur alius casus atque accusativus et is in locutionibus plerumque, quales sunt *ὅσσον* (cfr. Simon. 32, 2), *τόσσον, δηρόν, πολὺν χρόνον*. Contra ceteros casus scriptos videmus iam apud Solonem 4, 16 10, 1 36, 1, deinde apud alios.

ἀπάλαμνος. fr. 5, 3 *ὃς ἂν ᾖ κακὸς μηδ' ἄγαν ἀπάλαμνος*. Uberius de huius vocis notione egit Gerstenhauer in dissertat. inaug. de Alcaei et Sapphonis copia vocabulorum, Dissert. Halens. vol. XII p. 188, qui et hanc formam et *ἀπάλαμος* ex una stirpe emanasse censet, idem statuit Glaser l. c. p. 13 sqq.; contra disputavit L. Meyer l. c. vol. I p. 63 „(*ἀπάλαμνος*) *gilt oft als bloße Nebenform des vorausgenannten ἀπάλαμος, das aber ebensowohl in Bezug auf Bedeutung als auf Form abweicht*". Nec tamen significationis quandam necessitudinem inter utrumque intercedere negari potest collatis locis, quos Gerstenhauer Glaser Meyer collegerunt. Ceterum de vocis vi non nullis locis dubitatur. Simonides *ἀπάλαμνος* praebet ab Hom. *E* 597 vi haud multo diversum; quamquam ap. Sim. ethica paulum praevalet potestas. Quod Gerstenhauer dicit ab Atticis poetis et scriptoribus prorsus alienum esse hoc adiectivum, omisit unum locum Euripidis Cycl. 598 *χώρει δ' ἐς οἴκους, πρίν τι τὸν πατέρα παθεῖν ἀπάλαμνον*, ubi *ἀπάλαμνον* restitutum est a Cantero e corrupta lectione *ἀπαλλαγμὸν* codicum (nempe e vers. 600 voce *ἀπαλλάχθηθ'* huius mendi manifesta est explicatio), sed cogitari etiam potest de *ἀπάλαμον*, quae forma metro non repugnat.

γαλαθηνός. fr. 37, 6 *γαλαθηνῷ . . . ἤθεϊ*[27]) fr. 52, 3 *γαλαθηνὸν*

[26]) Ambigunt de σ 199, ubi tamen aut ad ancillarum sermonum aut ad pedum sermonumque sonitum referendum est.

[27]) sic Bergk, vid. ind.

τέκος. Simonides dictum vult de infantibus; antea ubi exstat, non nisi de animalium pullis lactentibus est res, cfr. Hom. δ 336 *νεβροὺς κοιμήσασα νεηγενέας γαλαθηνούς* = ρ 127 Anacr. 51, 2 *νεβρὸν γαλαθηνόν*. Alios locos contulit Athenaeus IX, 396 C sqq.

δαιμόνιος. fr. 23,3 *δαιμονίαν ἐς ὕβριν*. In epicis carminibus huius adiectivi vocativus tantum adhibetur ad hominum compellationes aut commiserationis aut indignationis plenas[28]); apud Simonidem vero primum alius casus ad rem divinam i. e. eximiam significandam, deinde saepe apud Pindarum, apud Bacchylidem semel XV, 35 nonnullisque locis apud scenicos et in pedestri oratione.

καμπύλος. fr. 29, 3 *καμπύλον μέλος διώκων*. Legitur haec vox apud ceteros epicos lyricosque non nisi proprio sensu, sic ap. Hom. *κ. ἅρμα* (*E* 231) *τόξα* (*Γ* 17 alibi) *κύκλα* (*E* 722), *κ. ἄροτρα* (h. Cer. 309 Sol. 13, 48) alia. Simonides hoc epithetum attribuit carmini solus, ut videtur. At comparari potest Eupolidis fr. 336[29]): *καὶ* (Eustath. *ἡ*) *μουσικὴ πρᾶγμ' ἐστὶ βαθύ τι καὶ καμπύλον*, quo loco cum iis quidem, quae tradita sunt, verbis versus non efficiatur, Kockius *καμπύλον* corruptum esse ratus est e coniunctione *καὶ* male repetita et adiectivo *πυκνόν*. Attamen *και καμ-* syllabas in unam potius coalescere potuisse (atque omisit Athenaei unus liber *καί*) quam *καί* esse repetitam per se verisimilius videtur, neque quod Kockius musicam certe neque *καμπύλος* neque *ἀγκύλος* dici posse contendit adstipulari ausim collatis haud paucis eis locis, quibus curvandi notio ad rem musicam transfertur, veluti Pherecrat. fr. 145 Aristoph. Nub. 970 Philostr. Vit. Soph. c. 28 (vol. II p. 120,7 ed. Kayser). Itaque *καμπύλον* hoc e versu expellere dubitarim, scribere protulerim omissa particula *τι* cum Grotio: *καὶ μουσικὴ πρᾶγμ' ἐστὶ βαθὺ καὶ καμπύλον* i. e. „res varietate (harmoniarum et melodiarum) praestans".

μεταμώνιος. fr. 16 *κονία δὲ . . . μεταμώνιος*. Et de forma et de vi vocis ambigitur. Apud Homerum est ubique „inanis", cfr. *Δ* 363 *β* 98 = *τ* 143 = *ω* 133 *σ* 332 = 392, quibus omnibus fere locis utrum *μεταμώλιος* an *μεταμώνιος* sit scribendum aut libri aut interpretes antiqui dissentiunt. Pindarus vero habet non nisi formam littera *ν* insignem eamque eadem notione qua Homerus, cfr. Ol. XII, 6 Pyth. III, 23; nec diversa est vocis species et vis ap. Theocrit. XXII, 181 (cfr. Hom. *Δ* 363) Apollon. Rhod. I, 491 (at affert alteram lectionem scholiasta) Nicand. Ther. 152 . 737. His accedit Aristoph. Pac. 117, ubi eadem quidem forma *μεταμώνιος*

---

[28]) excepto uno loco hymn. Merc. [97] ceterum insuper suspecto.

[29]) Comicorum Att. frgm. ed. Th. Kock 1880 sqq.

est tradita, interpretes tamen duas factiones sequuntur in notione expedienda; altera enim pars scholiorum eodem sensu accipi vult, quo locis supra allatis est accipiendum, altera idem valere contendit atque *τὸν ἑτέρωθεν μετέωρον*[80]), et ad sententiam probandam ipsum contestantur Simonidem. Iam vero hoc est tenendum, alteram hanc, quam illi adiectivo attribuit scholiasta potestatem, solam Simonidis loco c. aptissimam esse ad sensum. Itaque cum etiam alteram illam vim, quae est „inanis", certis testimoniis haud paucis confirmatam viderimus, facere non poterimus, quin aut hanc ex illa fluxisse putemus aut illam ex hac. Aut igitur genuina fuit vocabulo *μεταμώνιος* (vel *μεταμώλιος*) haec vis: „quae ventum sequuntur", ita ut ex *ἄνεμος* et *μετά* praepositione compositum sit, qua e notione inanitatis exoriri facile potuit, aut, — id quod haud minus probabile mihi videtur in epitheto poetico in sermone soluto vel cottidiano iam non usitato — fuit quaedam vox *μεταμώλιος* seu *μεταμώνιος* incertae usque adhuc originis, significatione inanitatis et vanitatis propria instructa, quam antiqui cum propter sonorum similitudinem e *μετά* et *ἄνεμος* coaluisse rati per metaphoram sollemnem factam esse censerent, iam genuina, quam opinabantur, vi restituta adhibebant etiam, sicuti Simonides, ad ea, quae ventum sequentia per auram feruntur, denotanda. Aristophanis quidem temporibus certe nonnulla Homerica Graecis iamiam obscuriora esse visa atque explicationem desiderasse vel ex Aristoph. fr. 222 apertum fit, ubi quidnam significent nonnullae *γλῶσσαι* Homericae pater quaerit e filio. Quo facilius fieri potuisse intellegetur, ut eiusmodi errores Simonidis aetate etiam irrepserint. Conferantur autem ea, quae de voce *ἤδυμος* supra diximus p. 28.

γεύω. fr. 46,1 *ἁ Μοῖσα . . οὐκ . . γεύει τὸ παρὸν μόνον.* Activum ante Simonidem non traditum; omittitur autem persona, cui aliquid gustandum datur, sicut ap. Herodot. VII, 46 *ὁ δὲ θεὸς γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών*; porro medium genus translate iam apud Homerum in usu est, item ap. Pind. Isthm. V, 20 *τὸ δ' ἐμὸν . . . κέαρ ὕμνων γεύεται* alios.

διώκω. fr. 29,3 *καμπύλον μέλος διώκων.* Improprie dictum de saltatoribus, qui motus suos carmini attemperant, cum carminis modos varios saltando tamquam persequuntur atque expetunt. Expetendi hanc notionem habemus ap. Hom. *P* 75, de rebus abstractis primus usurpat Hesiodus fr. 219 *νήπιος, ὅς τις ἕτοιμα λιπὼν ἀνέτοιμα διώκει,* quibus addas Pind. Ol. III, 45 *οὔ νιν διώξω* (sc. *τὸ πόρσω*) Isthm. VI (V), 71 *μέτρα μὲν γνώμᾳ διώκων* VII (VI), 40 *ὅ τι*

---

[80]) cfr. etiam *ἀνεμοφόρητος*: Apoll. Soph. Lex. Hom. s. v. *μεταμώνιος, μετὰ ἀνέμων φερόμενος*: schol. ad Apoll. Rhod. l. c.

τερπνὸν ἐφάμερον διώκων III, 21 (IV, 3) *ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνῳ διώκειν* fr. 127, 2 [3] *μὴ πρεσβυτέραν ἀριθμοῦ δίωκε, θυμέ, πρᾶξιν.* Male comparat Smythius ad Sim. l. c. Nem. V, 24: *φόρμιγγ᾽ . . . πλάκτρῳ διώκων,* ubi, sicuti etiam Isthm. VIII (VII) 35, agitandi sive pulsandi subest vis neque ab epico sermone aliena (cfr. *Θ* 439).

ἐπαινέω. fr. 5, 19 *πάντας δ᾽ ἐπαίνημι καὶ φιλέω.* Vid. s. voc. *ἔπαινος* p. 54 sq.

νέμω. fr. 5, 9 *οὐδέ μοι ἐμμελέως τὸ Πιττάκειον νέμεται.* Videlicet idem est sensus ac verbi *νομίζειν* in poesi ante tragicos perrari. Eundem vocis usum praebet solus Sophocles, qui plerumque in ultimo versus pede positam habet, cfr. Ai. 1331 *φίλον σ᾽ ἐγὼ μέγιστον Ἀργείων νέμω* | El. 150 *ἰὼ Νιόβα, σὲ δ᾽ ἔγωγε νέμω θεόν* 598 *καὶ σ᾽ ἔγωγε δέσποτιν ἢ μητέρ᾽ οὐκ ἔλασσον εἰς ἡμᾶς νέμω* | Oed. R. 1080 *ἐγὼ δ᾽ ἐμαυτὸν παῖδα τῆς Τύχης νέμων* | Oed. Col. 879 *τάνδ᾽ ἄρ᾽ οὐκέτι νεμῶ πόλιν* Trach. 483 *εἴ τι τήνδ᾽ ἁμαρτίαν νέμεις* | fr. 874, 3 *Νῦσαν, ἣν ὁ βουκέρως Ἴακχος αὑτῷ μαῖαν ἡδίστην νέμει* |. —[31])

Voces, quae apud Hesiodum vel in cyclicis qui feruntur poetis vel in hymnis primum leguntur, sunt hae:

δυσφροσύνα. fr. 86 (= 66 ed. Hill.-Crus.) *ἀμύντορα δυσφροσυνᾶν.* Primum ap. Hesiodum occurrit Theog. 102 . 528, deinde ap. Theognid. 1189, ubique pluralis numerus. Iadi est proprium, conferas Hippocrat. *περὶ ἱερῆς νόσου* I p. 609 (= Med. Graec. vol. XXI) ed. Kuehn et ea, quae de vocibus in *-σύνη* cadentibus disputavimus p. 21 sq.

μέρος. fr. 39, 4 (*θάνατος·*) *κείνου γὰρ ἴσον λάχον μέρος.* Ab Homeri Hesiodique sermone alienum; invenitur in hymn. Merc. 53 . 419 (*μέλος* libri) . 501 (*μέλος* libri) Cer. 400, deinde apud Pindarum Bacchylidem tragicos. Similiter atque Simonides *θανάτου μέρος* dicunt Sophocl. Ant. 147 *ἔχετον κοινοῦ θανάτου μέρος ἄμφω* Eurip. Heracl. 621 *εὐδόκιμον ἔχει θανάτου μέρος*; atque altero quidem illo Sophoclis loco partitiva genitivi notio subest sicut etiam

---

[31]) Accedunt *ἐξ ἀδήλων εἰδῶν* haec: frgm. 233 *δεσμὸν* Simonidem vocasse ansam scholiasta annotat ad Hom. *O* 713, quo loco similis latet notio, dicuntur enim *μελάνδετα* gladii nigris instructi capulis. — frgm. 250 *φύξιμος ὀδμή* dixit poeta, i. e. odor, quem fugere oportet; quod imitatus esse videtur Nicand. Ther. 34; aliter Homerus *ε* 359 de loco, quo quis fugere potest, i. e. de refugio. — frgm. 229 *ἀμύνασθαι* dixisse fertur Simonides *ἀντὶ τοῦ χάριτας ἀποδοῦναι*; cui significationi peculiari affinis est vices referendi rependendi ulciscendi apud Atticos praecipue, cfr. veluti Sophocl. Oed. C. 873 *ἔργοις πεπονθὼς ῥήμασίν σ᾽ ἀμύνομαι* Thucyd. I, 42 *τοῖς ὁμοίοις ἡμᾶς ἀμύνασθαι* IV, 63, 2 *τὸν εὖ καὶ κακῶς δρῶντα ἐξ ἴσου ἀρετῇ ἀμυνούμεθα* V, 69 *καὶ ἄνδρας ἅμα ἐχθροὺς καὶ ἀστυγείτονας ὑπὲρ πολλῶν ἀδικημάτων ἀμύνασθαι* VI, 10 *ὑφ᾽ ὧν δ᾽ αὐτοὶ πάλαι ἀφεστώτων ἀδικούμεθα, ἔτι μέλλομεν ἀμύνασθαι* alias.

apud Simonidem l. c., altero tamen Euripidis evanuit; ibi enim *μέρος* locum obtinet vocis *μοῖρα*, quam inde ab Homero saepenumero appositam legimus ad *θάνατος* per pleonasmum, cfr. Hom. *β* 100 *γ* 238 *ρ* 326 *τ* 145 *ω* 135 Callin. 1, 15 Tyrt. 7, 2 Mimn. 6, 2 Solon. 20, 4 27, 18 Theogn. 820 Aeschyl. Pers. 917 Agam. 1462 Eurip. Med. 987; atque imitatus est hanc locutionem Simonid. fr. 5, 16 *μοῖραν αἰῶνος*. *Μέρος* illud quod loco supra allato Simonidi abiudicarunt Pflugkius Schneidewinus Hartungius, perperam fecerunt; nam bene haec sententiae structura convenit poeticae orationi, conferas enim Sophocl. Electr. 1135 *τύμβου πατρῴου κοινὸν εἰληχὼς μέρος* Antig. 918 *γάμου μέρος λαχοῦσαν*.

τύχα. fr. 4, 2 *εὐκλεὴς μὲν ἁ τύχα*. Vid. Pausan. IV, 30, 4: *πρῶτος δέ, ὧν οἶδα, ἐποιήσατο ἐν τοῖς ἔπεσιν Ὅμηρος Τύχης μνήμην. ἐποιήσατο δὲ ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς τὴν Δήμητρα ἄλλας τε τῶν Ὠκεανοῦ θυγατέρας καταριθμούμενος, ὡς ὁμοῦ Κόρῃ τῇ Δήμητρος παίζοιεν, καὶ Τύχην ὡς Ὠκεανοῦ καὶ ταύτην παῖδα οὖσαν. καὶ οὕτως ἔχει τὰ ἔπη.*

Ἡμεῖς μὲν μάλα πᾶσαι ἀν' ἱμερτὸν λειμῶνα,
Λευκίππη Φαινώ τε καὶ Ἠλέκτρη καὶ Ἰάνθη
Μηλόβοσίς τε Τύχη τε καὶ Ὠκυρόη καλυκῶπις

quae verba leguntur in hymno Cereris v. 419 sqq. Porro Ioann. Laurent. Lydus de mensib. IV, 7: *ὅτι οὐδαμοῦ τοῦ τῆς Τύχης ὀνόματος Ὅμηρος μέμνηται, Ἡσίοδος μέντοι*; quod de Homero quidem dictum si ad Iliadem et Odysseam refertur, a recta ratione non aberrat, Hesiodi autem versum respicere videtur Theog. 360 *Εὐδώρη τε Τύχη τε καὶ Ἀμφιρὼ Ὠκυρόη τε.* His duobus locis addas e minoribus hymnis X, 5 *δὸς δ' ἄμμι τύχην εὐδαιμονίην τε.* Ceterum ante Simonidis tempora raro occurrit apud lyricos, cfr. Solon. fr. 31, 2 Archil. fr. 16 utrumque dubium; deinde ap. Theogn. 130 (praeterea Semon. Am. 7, 83 *εὐτυχεῖ* (verbum), Solon. 13, 70 Theogn. 590 *συντυχίην*, Theogn. 1188 *δυστυχίην*) saepiusque apud Pindarum et Bacchylidem; imprimis vero adamant vocem tragici; in oratione pedestri inde ab Herodoto legitur, videtur tamen apud Atticos demum magis in usum venisse.

ἀέναος. fr. 4, 9 *ἀέναόν τε κλέος* fr. 57, 2 *ἀενάοις ποταμοῖσιν*. Homeri est *ἀενάων*, vid. *ν* 109 *ὕδατ' ἀενάοντα*, Hesiodi et eadem vox, cfr. Opp. 550 *ποταμῶν ἄπο αἰεναόντων*, et *αἰέναος*, cfr. Opp. 595 *κρήνης τ' αἰενάου* 737 *αἰενάων ποταμῶν*. Ubique et hoc et illud epithetum propria usurpatur notione, quae est „perpetuo manans" sicut etiam ap. Simonid. fr. 57, 2. Primus vero e poetis Simonides translata vi ponit fr. 4, 9 *ἀέναόν τε κλέος* i. e. „sempiternam gloriam", neque usquam aliter Pindarus, vid. Ol. XIV, 11 Pyth. I, 6 Nem. XI, 8 fr. 119, 4; scite scholiasta annotat ad Ol. XIV, 11: *ἀένναον δὲ κυρίως μὲν τὸ ἀεὶ ἐν τῷ ῥεῖν καὶ νάειν ὄν, νῦν δὲ τὸ αἰώνιον*; ceterum

inde a Simonidis fere temporibus et haec et illa notio est recepta a poetis solutaeque dictionis scriptoribus; Heraclitus quidem philosophus eandem praebet locutionem quam Simonides, scilicet frgm. 29 (Diels): *κλέος ἀέναον.*

ἑλικοβλέφαρος. fr. 18, 2 *Μαιάδος οὐρείας ἑλικοβλεφάρου.* Peculiare est Veneris cognomentum idque primum Hesiod. Theog. 16 hymn. V, 19, deinde Pind. fr. 123, 5[4]; a Simonide Maiae attribuitur, Ledae et Alcmenae a Pindaro Pyth. IV, 172. De significatione conferas M. Glaser l. c. p. 23.

οὐράνιος. fr. 18, 5 *Πελειάδες οὐράνιαι.* Homerus Hesiodusque exhibent epithetum deorum *οὐρανίωνες,* in Cereris hymno primum ac semel occurrit *θεῶν οὐρανίων* v. 55, nomen proprium *Οὐρανίη* ibidem v. 424 et ap. Hesiod. Theog. 78 . 350 fr. 192, 1. Saepius legitur apud Pindarum tragicosque.

οὔρειος. fr. 18, 2 *Μαιάδος οὐρείας.* Hoc nympharum videlicet montanarum attributo primus Hesiodus utitur fr. 198, de Maia dicitur primum in hymn. Merc. 244, ceterum conferas Roscher. l. c. I, 2234.

πολύβοτρυς. fr. 53, 3 *πολυβότρυος ἐξ Ἰωλκοῦ.* Sicut apud Simonidem regionum est epithetum ornans Hesiod. fr. 122, 2 *πολυβότρυος ἀντ᾽ Ἀμύροιο* Theocrit. XXV, 11 *ἐπὶ Βουπρασίου πολυβότρυος* scilicet eodem modo usurpatum quo Homericum *ἀμπελόεις* veluti *Β* 561 *Γ* 184 *Ι* 152 alib.; ceterum conferatur Eurip. Bacch. 651 *τὴν πολύβοτρυν ἄμπελον* Ion. fr. 1, 4 (Bergk) *βοτρυόεσσ᾽ οἰνάς.*

σεμνός. fr. 70, 2 *σεμνὰν ὑγίειαν.* Vox ab Homerico et Hesiodeo sermonis usu aliena, quamquam radicis *σεβ-,* de qua est derivata, nonnulla exstant vestigia velut *σέβεσθαι* (*Δ* 242) *σέβας σεβάζεσθαι.* Imprimis autem est deorum dearumque epithetum itaque positum legitur in hymn. Cer. 1 . 487 XII, 1 XXIX, 16; inde de rebus, quae deorum sunt: hymn. Cer. 479 XXVII, 5; praeterea ante Simonidem Solon solus exhibet 4, 14. Frequentatur apud Pindarum Bacchylidem tragicos in oratione pedestri excepto Herodoto.

ἀρύω. fr. 44, 1 *χερνίβεσσιν ἀρύεται . . . ὕδωρ* fr. 45, 2 *πολύλιστον ἀρυόντεσσι νᾶ⟨μα⟩.* Cfr. Hesiod. Opp. 550 Scut. Herc. 301 et h. Cer. 106 *ὕδωρ εὐήρυτον.*

ἐπικρέμαμαι. fr. 39, 3 *ὁ δ᾽ ἄφυκτος ὁμῶς ἐπικρέμαται θάνατος.* Utuntur eadem translatione epicis ignota de rebus adversis imminentibus Mimn. 5, 6 *γῆρας ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτίχ᾽ ὑπερκρέμαται* = Theogn. 1022 *αὐτίχ᾽ ὑπὲρ κεφαλῆς γῆρας ὑπερκρέμαται* Theogn. 206 *ἄτην ἐξοπίσω παισὶν ἐπεκρέμασεν* Pind. Ol. I, 58 [56] *ἄταν ὑπέροπλον, ἄν οἱ πατὴρ ὕπερ κρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον* Isthm. VIII (VII), 14 *δόλιος γὰρ αἰὼν ἐπ᾽ ἀνδράσι κρέμαται.* Proprio sensu h. Apoll. 284 *πέτρη ἐπικρέμαται.*

ζαλόω. fr. 71, 3 *οὐδὲ θεῶν ζαλωτὸς αἰών.* Exhibet Hesiod.

Opp. 23. 312 et hymni Cereris auctor v. 168 = 223. Eadem qua apud Simonidem significatione adiectivum verbale occurrit Theogn. 455 Pind. Ol. VII, 6 Aeschyl. Pers. 710 Sophocl. Ant. 1161, saepius apud Euripidem, qui aequo modo ac Simonides *ζηλωτὸς αἰών* dicit de beata vita Med. 243.

μιμέομαι. fr. 29, 3 .. *ἵππον ἢ κύνα . . . μίμεο.* In hymn. Apoll. 163 *πάντων δ' ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστὺν μιμεῖσθ' ἴσασιν*; tum alibi. —[32])

Restat copia haud exigua eorum vocabulorum, quae apud epicos vetustiores omnino non leguntur. Quibus in percensendis e re erit discrimen facere inter ea, quae cum epicis quibusdam vocibus necessitudinem habent, et ea, quae prorsus ab illis sunt aliena.

Atque ex altero illo genere statim afferamus ea, quae ante Simonidis aetatem inveniuntur:

εὐρώς. fr. 4, 4 *ἐντάφιον . . . οὔτ' εὐρὼς . . . . ἀμαυρώσει.* Apud Homerum *εὐρώεις* epithetum perpetuum est Orci *Υ* 65 *κ* 512 *ψ* 322 *ω* 10, item ap. Hesiod. Opp. 153 Theog. [731]. 739. [810]. Similiter atque apud Simonidem aerugo rerum deletrix appellatur Bacchyl. fr. 4, 11 *ἔγχεά τε λογχωτὰ ξίφεά τ' ἀμφάκεα δάμναται* —⏑⏑ *εὐρώς* (scilicet in pace). Primum legitur apud Theogn. 452, tum Eurip. Ion. 1393.

μύρτος. fr. 10, 1 *πετάλοισι μύρτων.* Conferas ea, quae de hac voce et de *μυρρίνη* disputarunt Udo Bahntje in Quaest. Archilocheis Diss. inaug. Gotting. 1900 p. 66 et Weber l. c. p. 89; addas Ibyc. fr. 6, 1 *μύρτα τε καὶ ἴα καὶ ἑλίχρυσος* et Stesich. 29, 2 *πολλὰ δὲ μύρσινα φύλλα καὶ ῥοδίνους στεφάνους.*

ῥῆμα. fr. 37,14 *ἐμῶν ῥημάτων.* Primum exstat ap. Archil. 50, 2, deinde ap. Theogn. 1152. 1262 Pindarum alios.

συμφορά. fr. 5, 11 *ἀμάχανος συμφορά* fr. 14 *πῖνε, πῖν' ἐπὶ συμφοραῖς.* Iadi et Atthidi est proprium, primum in poetarum versibus occurrit ap. Hipponact. 49, 5 *αὕτη γάρ ἐστι συμφορή τε καὶ κληδών* „malum omen"; frequentatur in prosa oratione et apud poetas Atticos, e lyricis praesto sunt loci hi tantum: Pind. Ol. VII, 77 Pyth. VIII, 87 Bacchyl. XIII, 3 (Timoth. Pers. v. 201 ed. Wilamow.).

τρόπος. fr. 31, 3 *Κρῆτά μιν καλέουσι τρόπον.* Apud Semonidem Amorginum primum legitur 7, 78 *δήνεα δὲ πάντα καὶ τρόπους ἐπίσταται* notione astutiae ac doli instructum, semel apud Theognidem v. 964 *ὀργὴν καὶ ῥυθμὸν καὶ τρόπον, ὅντιν' ἔχει* de moribus.

[32]) Addas *ἐξ ἀδήλων εἰδῶν*: fr. 226 *σκληρόν.* Quod singulis locis invenitur ap. Hesiod. Theog. 839 Theognid. 1194 Pind. Ol. VII, 29 [Epicharm.] 288 (Kaibel) Herodot. VIII, 12, porro apud Atticos.

Apud Simonidem vero translatum invenimus ad carminis modum i. e. melodiam sive harmoniam eodemque sensu apud Pindarum Ol. III, 4 X, 77 XIV, 15, frequentatur apud scenicos prosaeque orationis scriptores.

ἄφυκτος. fr. 39, 3 ὁ δ' ἄφυκτος . . . θάνατος. Homerus huius adiectivi loco ponit φυκτός addita negatione Π 128 οὐκέτι φυκτὰ πέλωνται θ 299 ὅ τ' οὐκέτι φυκτὰ πέλοντο ξ 489 νῦν δ' οὐκέτι φυκτὰ πέλονται. Legitur ἄφυκτος apud Solonem 4, 17 ἕλκος ἄφυκτον 13, 64 δῶρα δ' ἄφυκτα θεῶν γίγνεται, deinde apud Pindarum tragicos alios.

δυνατός. fr. 5,16 τὸ μὴ γενέσθαι δυνατὸν διζήμενος. In elegiacis primum invenitur ap. Theogn. 522 . 626, in melicis ap. Simonid. l. c., deinde crebrius apud Pindarum, raro apud tragicos, usitatius est in soluta dictione.

ἡ-(ἁ-, ἱ-)μερόφωνος. fr. 80 B ἁμερόφων' ἀλέκτωρ. Voce ἱμερόφωνος utitur Alcman fr. 26 παρθενικαὶ μελιγάρυες ἱμερόφωνοι[33]), item Sappho fr. 39, ubi libri habent ἱμερόφωνος ἀηδών, at Suidas ἡμερόφωνος. Similis est Simonidis loci condicio, ubi ἱμερόφων' et ἡμερόφων' est traditum. Apparet autem attributum ἱμερόφωνος, quod bene Alcman de virginibus, Sappho de luscinia (Theocritus denique XXVIII, 7 de Gratiis) exhibent, haud magis aptum esse ad gallum quam ἡμερόφωνος ad lusciniam, nisi vero ab ἥμερος adiectivo derivamus collato Pind. Nem. VII, 83; at rursus mitem ac mollem vocem ineptum est tribuere gallo. Quae cum ita sint, duo locis supra allatis subesse existimamus epitheta diversa, quorum alterum ἱμερόφωνος recte stat apud Alcmanem Sappho Theocritum, alterum ἡμερόφωνος sive ἁμερόφωνος apud Simonidem; atque ita est accipiendum, ut gallus dicatur interdiu, non noctu vocem emittere, quam interpretationem Ahrensius nullo argumento allato reiecit, conferas autem ad huius adiectivi structuram epithetum Hesiodeum ἡμερόκοιτος „qui interdiu dormit" i. e. fur Opp. 605. Cogitari tamen potest hoc Simonidis loco etiam de Homerico illo ἠερόφωνος praeconum epitheto, quod haud absurde quispiam transtulerit ad gallum. Ceterum aliud galli cognomentum apud Cratin. fr. 259 traditum ὁλόφωνος (ὀλόφωνος coni. Meineke) explicatione idonea adhuc caret.

ἰοστέφανος. fr. 52, 2 ⟨Εὐριδίκας⟩ ἰοστεφάνου. Epitheta cum vocis ἴον stirpe composita apud lyricos magis in usum venerunt, apud epicos inveniuntur tantummodo ἰόεις, ἰοδνεφής, ἰοειδής ferri lanae maris attributa.[34]) Sed conferas in lyricis versibus:

[33]) codd. ἱερόφωνοι, quod Ahrensius in Philol. vol. XXVII p. 590 per ἱερόφωνος explicat vocem repetendam ab *ἱερο- stirpe plane incerta.

[34]) ἰοστέφανος v. lect. h. Ven. 176 V, 18, at conferas h. Ven. 6 . 288 Hom. θ 288 σ 193 Hes. Theog. [196] . 1008.

ἰοβ(γ)λέφαρος Pind. fr. 307 Bacchyl. XVIII, 5

ἰόδετος Pind. fr. 75, 7[6]

ἰόκολπος Alcae. 63

ἰοπλόκαμος Simon. 18, 3 Pind. Pyth. I, 1

ἰόπλοκος Alcae. 55, 1 Pind. Isthm. VII (VI), 23 Ol. VI, 30 Bacchyl. III, 71 VIII, 72 XVI, 37

ἰοστέφανος Solon. 19, 4 Theogn. 250. 1304. 1332. 1383 Simon. l. c. Bacchyl. III, 2 V, 3 XII, 122.

Tragici eius generis composita non habent. *Ἐυστέφανος ἐυπλόκαμος* sollemnia sunt epitheta epica, apud tragicos semel legitur Eurip. Iph. A. 790 *εὐπλοκάμους κόμας* videlicet ipsis crinibus, non ut apud ceteros personae appositum.

κενεόφρων. fr. 75, 3 *ὁ δὲ μῦθος ὅδε κενεόφρων.* Cfr. Theogn. 233 *κενεόφρονι δήμῳ* 847 *δήμῳ κενεόφρονι*; ad res a persona transfertur sicut ap. Simonidem Pind. Nem. XI, 29 *κενεόφρονες αὖχαι.*

κερόεις. fr. 30, 3 *κεροέσσᾳ ... ἐλάφῳ.* Cfr. Weber. l. c. p. 85, qui hunc Simonidis locum omisit una cum Eurip. El. 724 Phoen. 835. Vid. etiam ea, quae Schneidewinus ad Sim. l. c. annotat.

ποθεινός. fr. 71, 2 *τίς ... βίος ποθεινὸς ...* Haec vox apud epicos non formatur, primum exstat ap. Callin. 1, 16, e lyricis praeterea Pindarus, e tragicis Sophocles bis, Euripides saepius exhibet nec deest apud comicos et in pedestri oratione Attica.

σοφός. fr. 5, 9 *σοφοῦ παρὰ φωτός* fr. 19 *σοφώτατο(ν λέγει τὸν χρόνον).* Epici habent vocem *σοφίη* eamque raro ac pro singulis quibusdam artibus vel habilitatibus dictam, cfr. Hom. *Ο* 412 *τέκτονος ..., ὅς ῥά τε πάσης εὖ εἰδῇ σοφίης* h. Merc. 483 *τέχνῃ καὶ σοφίῃ δεδαημένος* [511] *αὐτὸς δ' αὖθ' ἑτέρης σοφίης ἐκμάσσατο τέχνην,* eodemque sensu adiectivum *σοφός* usurpat Hesiodus fr. 193 (cfr. Archil. fr. 45 *κυβερνήτην σοφόν*), addas Margit. fr. 2 (p. 67 Kinkel) *τὸν δ' οὔτ' ἂρ σκαπτῆρα θεοὶ θέσαν οὔτ' ἀροτῆρα οὔτ' ἄλλως τι σοφόν, πάσης δ' ἡμάρτανε τέχνης.* Apud posteriores vero passim significatur sapiens et sapientia. Simonides quidem substantivum *σοφίη* ad artem poetae referre videtur fr. 70, 1, cum dicat *οὐδὲ καλᾶς σοφίας ἐστὶν χάρις, εἰ μή τις κτέ.,* quocum conferas Solon. 13, 52 *ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος,* atque eadem notio saepius apud Pindarum praecipue et apud Bacchylidem subicitur huic voci.

τερπνός. fr. 46, 3 *τερπνοτάτων μελέων.* Primum [85]) legitur in poesi elegiaca ap. Mimn. 1, 1 5, 3 = Theogn. 1019 Tyrt. 12, 38 Semon. Amorg. 7, 52 Theogn. 256. 914. 1345. 1066 (*ἐπιτερπνότερον*)

---

[85]) var. lect. *τερπνήν* pro *τέρπειν* *ϑ* 45.

et ap. Sapph. fr. 11, 2; in deliciis fuisse videtur Pindaro nec desideratur apud scenicos.

φοινίκεος. fr. 54,1 φοινίκεον ἱστίον. Epicum est φοινικόεις, vid. Hom. *K* 133 *Ψ* 717 ξ 500 φ 118 h. Merc. 250 Scut. Herc. 95.194.[36]) Φοινίκεος Simonides commune habet cum Pind. Isthm. III, 36 (IV, 18); primum autem traditum est ap. Xenophan. 32, 2 (Diels).

χρυσόπεπλος. fr. 45, 2 Κλειοῖ . . . χρυσόπεπλε. Conferatur Anacr. 76, deinde Pind. Isthm. VI (V),75 Bacchyl. XVIII, 22, denique epica χρυσοπέδιλος χρυσόζωνος et ἑλκεσίπεπλος εὔπεπλος; ceterum vid. Weber. l. c. p. 79.

ἀμαυρόω. fr. 4, 5 ἀμαυρώσει χρόνος. Hesiod. Opp. 325 sine vocali α scribitur ῥεῖα δέ μιν μαυροῦσι θεοί, item v. [693] φορτία μαυρωθείη (ubi tamen incertum est, utram ad vocem littera α sit referenda). Ἀμαυρός iam apud Homerum invenitur δ 824 = 835. Pro certo ἀμαυρόω est traditum Sol. 4, 35, μαυρόω Theogn. 192, porro alibi. De tempore, quo omnia facta obliterantur, verba fiunt etiam apud Sophocl. fr. 868 χρόνος δ' ἀμαυροῖ πάντα κεἰς λήθην ἄγει Theodect. fr. 9, 4 (Nauck) ὁ μυρίος χρόνος τὰ πάντ' ἀμαυροῖ χὐπὸ χεῖρα λαμβάνει Dio. Cass. 72, 23 τοῦ μέλλοντος χρόνου ... ὡς ὑπολείψοντος τὴν ἱστορίαν καὶ οὐδαμῶς ἀμαυρώσοντος.

μαρτυρέω. fr. 4,7 μαρτυρεῖ δὲ Λεωνίδας. Huius quidem verbi antiquisimum est exemplum Alcaei fr. 102. Epici habent μάρτυς Hes. Opp. 371 h. Merc. 372, μάρτυρος Hom. saepius, μαρτυρίη λ 325. Μαρτύρεσθαι primum ap. Alcman. 23, 42, συμμαρτυρεῖν Solon. 36, 1.

ἄγαν. fr. 5, 3 μηδ' ἄγαν ἀπάλαμνος. Primum ap. Theognidem servatum v. 219 . 335 . 401 . 657[37]), semper sicut ap. Sim. l. c. addita negatione; deinde sexies apud Pindarum, multo saepius apud scenicos nec raro in prosa oratione Attica.[38]) Videlicet epici Ionesque abstinuerunt hoc adverbio, cuius loco illi quidem usurpabant λίην; at Hippocrates utramque praebet particulam. —[39])

Primum apud Simonidem leguntur vocabula cum epicis necessitudine coniuncta haec:

---

[36]) semel φοῖνιξ adiectivum *Ψ* 454, cfr. Simon. 17, 1.

[37]) var. lect. v. 497; de Sapphus loco fr. 121 est dubitandum.

[38]) apud oratores Atticos tamen non nisi quater ap. Demosthenem.

[39]) Statim addantur ἐξ ἀδήλων εἰδῶν haec: fr. 244 νέαιραν γνάθον. Homericum est γναθμός, cfr. *N* 671 *Π* 606; γνάθος ap. Hipponact. 62, 2 Pind. Nem. I, 42 fr. 177 alib. (Herodot. IX, 83 et Attici habent). — fr. 211 δουλεύειν, vox Attica, primum legitur ap. Sol. 32, 7 (Hiller-Crus.), deinde apud ceteros Atticos. — fr. 193 πολεμεῖν. Poeticae dictionis peculiare est πολεμίζειν, cfr. Hom. *Γ* 325 *Θ* 428 al. passim, Tyrt. 11, 27 Anacr. 52 Pind. Isthm. I, 50 Ol. IX, 32; πολεμεῖν primum ac semel ante Simonidem in iambis, vid. Archil. frgm. Reitzensteinian. (cfr. *Berlin. Sitzungsber.* 1899 p. 857) B v. 8; saepe tamen in prosa oratione et ap. Aristoph.

ἀδονά. fr. 71, 1 *ἀδονᾶς ἄτερ.* Vox Ionica et Attica, frequentatur in prosa oratione et apud tragicos (imprimis Sophocl. et Euripid.), deest apud epicos lyricosque vetustiores, apud illos videlicet propter rhythmum creticum – ⏑ –.

ἀλέκτωρ. fr. 80 B *ἀμερόφων' ἀλέκτωρ.* Duae sunt formae, *ἀλέκτωρ* et *ἀλεκτρυών*, quarum illa poeticae, haec solutae (comicaeque) dictioni magis convenit, cfr. *ἀλέκτωρ* Batrachom. v. 192 ap. Pind. Ol. XII, 14 Aeschyl. Ag. 1671 Eum. 861 Phrynich. fr. 17 Ion. fr. 39 45 (Nauck) Cratin. fr. 259 Aristoph. Vesp. 1481 al. Vide etiam Lobeck. ad Phrynich. p. 228 sq.[40]) Apud Homerum nomina propria leguntur *Ἀλέκτωρ* et *Ἀλεκτρυών*.

ἀνδρεία. fr. 58, 7 *ἐς ἄκρον ἀνδρείας.* *Ἀνδρεία* et *ἀνδρεῖος* neque apud ceteros lyricos neque apud epicos leguntur, apud scenicos raro, sollemnia sunt in prosa oratione.

δνόφος. fr. 37, 8 *κυανέῳ .. δνόφῳ.* Cfr. Aeschyl. Choeph. 52. Adiectivum *δνοφερός* ab hac voce rarissima derivatum habent epici ceterique poetae.

ἔπαινος. fr. 4, 3 *ὁ δ' οἶκτος ἔπαινος.* Primus e poetis Graecis hoc substantivum servavit Simonides. Epici quidem habent *αἰνέω αἰνίζω ἐπαινέω* cum vi assentiendi comprobandi laudandi praedicandi, item *αἶνος* legitur iam apud Homerum aut narrationis notione praeditum, cfr. *Ψ* 652 *ἐπεὶ πάντ' αἶνον ἐπέκλυε Νηλεΐδαο* *ξ* 508 *αἶνος μέν τοι ἀμύμων, ὃν κατέλεξας,* aut laudis, cfr. *Ψ* 795 *οὐ μέν τοι μέλεος εἰρήσεται αἶνος* *φ* 110 *τί με χρὴ μητέρος αἴνου.* Videtur autem *αἶνος* vocis genuina esse significatio narrationis cuiusvis, deinde narrationis potissimum, qua aliquis laudibus afficitur, denique laudis. E narrationis vi fluxit aenigmatis et fabulae, cfr. Hesiod. Opp. 202 Archil. fr. 86,1 89, 1. Pindarus quidem valde adamat voce *αἶνος* laudis exprimere notionem, *ἔπαινος* semel exhibet fr. 181 eodem sensu, Aeschylus praebet *αἶνος* tantum idque et pro narratione et pro laude dictum, Sophocles et Euripides *ἔπαινος* ad laudem, *αἶνος* et ad sermonem sive narrationem et ad laudem referunt. Videtur autem *αἶνος* poeticae, *ἔπαινος* prosae orationi magis convenire, itemque poetae ad laudandi vim denotandam simplex *αἰνέω* crebrius adhibent quam *ἐπαινέω* verbum in prosa Attica nusquam non usurpatum.[41]) Hoc vero compositum apud Homerum ubicumque legitur, non laudandi, sed comprobandi aut assentiendi potestatem tenet et coniungitur

---

[40]) Plane diversa est vox *ἀλέκτωρ* ap. Sophocl. fr. 767 et Bacchyl. IV, 8; utroque enim loco idem videtur valere atque *ἄλοχος*; cfr. Eustath. ad Hom. 1479, 28 Tzetz. schol. ad. Lycophr. 1094.

[41]) *αἰνέω*: Plat. Rep. 404 D Legg. XII, 952 C. Ceterum hoc simplex Iadi esse proprium docet H. Wittekind, Sermo Sophocleus quatenus cum scriptoribus Ionicis congruat, differat ab Atticis Diss. inaug. Giss. 1895 p. 27.

aut cum accusativo rei, quae comprobatur, cfr. *B* 335 *μῦθον*, aut cum dativo personae, cui assentitur aliquis, cfr. *Σ* 312 *Ἕκτορι* alia[42]), accusativus personae sicut apud Atticos, ubi laudandi praebet *ἐπαινέω* notionem, nusquam subiungitur. Primum occurrit *ἐπαινέω* laudandi vi instructum ap. Hesiod. Opp. 12 (*Ἔριδες*) . . *τὴν μέν κεν ἐπαινέσσειε νοήσας, ἡ δ' ἐπιμωμητή* et Alcm. 5, 81 (ed. Hiller-Crus.), deinde saepius, contra *αἰνέω* iam Homeri aetate est „laudare" et personae accusativum sibi adsciscit, cfr. *K* 249 *Ψ* 552 *Ω* 30.

εὐδοξία. fr. 4, 6 *οἰκέταν εὐδοξίαν. Δόξα* inde ab Homero, a quo in sola locutione *οὐδ' ἀπὸ δόξης* „haud praeter opinionem" usurpatur *K* 324 *λ* 344, est usitatum, de gloria est primum ap. Tyrt. 12, 9, deinde crebrius. *Εὐδοξία* vid. ap. Pind. Pyth. V, 8 Nem. III, 40 Euripidem pedestrisque sermonis scriptores.

ἱπποτροφία. fr. 15, 1 *ἱπποτροφία . . . ὀπαδεῖ.* Conferantur Hesiod. Opp. 507 *Θρῄκης ἱπποτρόφου* Pind. Isthm. II, 38 *ἱπποτροφίας τε νομίζων ἐν Πανελλάνων νόμῳ* et *ἱπποτρόφος*: Nem. X, 41 Isthm. III, 32 (IV, 14) Bacchyl. X, 114, utrumque vocabulum porro in prosa dictione. Homericum est *ἱππόβοτος.*

κορυδαλλίς. fr. 68, 2 *πάσαισιν κορυδαλλίσιν.* De huius vocis variis formis vid. Lobeck. ed. Phrynich. p. 338 sq.

μελῃδών. fr. 39, 1 *ἄπρακτοι ... μελῃδόνες.* Haec vox nonnullaeque affines videntur Ionia oriundae, inde in poetarum dictionem receptae; conferas enim de *μελεδών* et *μελεδώνη*, quae saepenumero in libris confunduntur: Hippocr. de mulier. morb. vol. II (= Med. Graec. XXII) p. 661, 2 (Kuehn) *δέεται πολλῆς μελεδώνης* (i. e. „curae"), deinde Hom. *τ* 517 Cypr. fr. 10 (p. 27 Kinkel) h. Ap. 532 h. Merc. 447 Hesiod. Opp. 66 Mimn. 6, 1 Theogn. 883 Sapph. 17;

ad *μελεδαίνειν* deinde cfr. Bahntjium l. c. p. 79 Herwerden., lexic. supplet. s. v. p. 524;

ad *μελεδωνός*: Herodot. II, 65 (bis) III, 61 . 63 VII, 31 . 38;

ad *μελέδημα*: Hom. *δ* 650 *ο* 8 *υ* 56 alib. Theogn. 789 Ibyc. 5, 2 Euripid. Hipp. 1103 fr. 910, 9 (libri *μελέτημα*);

μελεδήμων denique ap. Empedocl. 112, 2 (Diels);

μελῃδών forma Simonidea apud poetas serioris demum aetatis recurrit.

μετάστασις. fr. 32, 4 *ὠκεῖα . . . ἁ μετάστασις.* Postea ap. Euripidem nec minus in soluto dicendi genere.

ναέτας. fr. 57, 1 *Λίνδου ναέταν Κλεόβουλον.* Simplex apud epicos desideratur, sed conferas Hom. *Ω* 488 *περιναιέται* Hesiod. Theog. 401 *μεταναιέτας*; *ναέτας* apud recentiores demum veluti ap.

---

[42]) item in inscriptionibus Atticis vetustioribus, cfr. K. Meisterhans, *Grammatik der attischen Inschriften, Berlin* 1900, p. 211.

Ephipp. fr. 5,1 (Kock), in Anthol. Pal. VI, 171, 2; vid. Hesych. *ναέται· οἰκήτορες· καὶ ναετῆρες.*

οἰκέτας. fr. 4, 6 *οἰκέταν εὐδοξίαν.* Ceterum a poesi epica lyricaque alienum a scenicis prosaeque orationis scriptoribus inde ab Herodoto usitatum. Homericum est *οἰκεύς.*

ὄργανον. fr. 31, 3 *τὸ δ' ὄργανον Μολοσσόν.* Significat a principio quodvis instrumentum, tum varias notiones induit, apud Simonidem quidem est instrumentum musicum. Praeterea apud tragicos invenies et scriptores Atticos (Thucydides oratoresque vitarunt).

ὄρχημα. fr. 31, 2 *ἐλαφρὸν ὄρχημ'.* Poetarum formae praecipuae sunt hae: *ὀρχηστύς*: Hom., Eurip. Cycl. 171; *ὀρχηθ(σ)μός*: Hom., hymn. Ap. 149 Scut. Herc. 282 Theogn. 791 Aeschyl. Eum. 370; *ὄρχησις*: Epich. 171, 9; *ὄρχημα* praeter Simonidem habet Sophocles Ai. 700 paucique prosae dictionis scriptores.

παιδοτρόφος. fr. 12, 4 *ἱρὰν παιδοτρόφον ποικίλας ἀλκυόνος.* Invenitur ap. tragicos Sophocl. Oed. C. 701 Eurip. Herc. Fur. 902.

πρίν. fr. 54, 2 *πρινὸς . . ἐριθάλλου. Πρῖνος* primum commemoratur Hesiod. Opp. 436; Simonides solus genitivum *πρινός* per metaplasmum formavit.

ὑγίεια. fr. 70, 2 *σεμνὰν ὑγίειαν.* Conferas ea, quae de vocabulo *ὑγιής* exposuimus supra p. 34 sq. *Ὑγίεια* porro legitur ap. Pind. Pyth. III, 73 Bacchyl. I, 165 Aeschyl. Ag. 1002 Eum. 535 Eurip. Or. 235 Hipp. 263 alias saepe.

χλανίς. fr. 37, 12 *πορφυρέ(αισιν) . . . ἐν χλανί(σιν).* Epici habent vocem *χλαῖνα*, itidem Archil. frgm. B, 1 Hipponact. 17, 1 18, 1 19, 1, quod verbum eiusdem est stirpis atque *χλανίς*, cfr. L. Meyer l. c. vol. III p. 341 et 347; Prellwitz, *Etymolog. Wörterb.*[2] p. 509. Herodotus et Attici noverunt utrumque vestimentum, inter quae quidnam intersit docet Hermannus, *Lehrb. d. griech. Antiquit.* vol. IV[3] p. 177. Praeterea invenies *χλαμύς* ap. Sapph. fr. 64 Bacchyl. XVII, 54. Vid. L. Meyer l. c. p. 341 sq. Hermann. l. c.

ἀγώνιος. fr. 29, 2 *ἀγωνίῳ . . . ποδὶ . .* Apud Pindarum aut in universum significat id, quod ad certamen ludosque pertinet, vid. Ol. X, 63 Isthm. V (IV), 7 fr. 1, 8 [5], aut peculiariter dicitur de Mercurio ludorum praeside (sicut *ἐναγώνιος* ap. Simon. 18, 1), vid. Isthm. I, 60, similiter ap. Aeschylum *ἀγώνιοι θεοί* Suppl. 189 242. 332. 355 Ag. 513 (item Platon. Legg. VI, 783) et apud Sophoclem *Ζεὺς ἀγώνιος* Trach. 26, ubi schol. *ὁ πρύτανις τοῦ ἀγῶνος.* Porro alter est locus Sophocleus huic Simonideo aliqua ex parte consimilis, dico Ai. 195 *ἀγωνίῳ σχολᾷ*, quod ab alteris quidem interpretibus accipitur tamquam de quiete dictum, qui certamen sequitur, ab alteris ita, ut sit oxymorum quod appellatur et verti debeat: „otium

negotiosum". Hanc autem hoc quoque Simonidis loco subiciendam esse putarim notionem a genuina sane haud multum distantem, nam quae certatim fiunt, ea celeriter summaque vi ac negotio aguntur.

ἀδίαντος. fr. 37, 3 (οὐκ) ἀδιάντοισιν παρειαῖς. Adiectivum verbale derivatum de verbo διαίνω ab Homeri sermone haud alieno. A Simonide dicitur de genis, quae lacrimis vacant, deinde invenitur ap. Pind. Nem. VII, 73 αὐχένα καὶ σθένος ἀδίαντον „sudore non madefactum" Bacchyl. XVI, 122 „aequore non rigatus". Verbo διαίνειν de lacrimantibus utitur Aeschylus Pers. 1038 (coni. Weil αἶαζ' αἶαζε). 1047. 1065. 258.

ἀδύοδμος. fr. 74,1 ἔαρος ἀδυόδμου. Idem epithetum exhibet exempli gratia Aristoph. fr. 116 ἡδυόσμοις στρώμασιν. Pindarus similiter ac Simonides dicit fr. 75, 17 [15] εὔοδμον ἔαρ.

ἀλαμπής. fr. 37, 8 νυκτὶ ἀλαμπεῖ. Hoc vocabulum, quod Simonidi l. c. restituit Ilgenius, praeterea dignoscere sibi visi sunt in Bacchyl. XII, 175 loco admodum lacerato, deinde legitur apud Sophocl. Trach. 691. Ceterum conferas Wittekind. l. c. p. 34 et 37.

ἄμετρος. fr. 37, 16 ἄμετρον κακόν. Dicit Simonides sicut Homerus τ 512 πένθος ἀμέτρητον ψ 249 ἀμέτρητος πόνος, item ἀμέτρητος habent Pind. Isthm. I, 37 Eurip. Hec. 783 El. 433 fr. 781, 70, contra ἄμετρος ad pedestrem orationem magis idoneum videtur quam ad poetarum.

ἄπονος. fr. 36, 3 ἄπονον . . . βίον. Praeterea invenitur apud Pindarum Atticos. Simonidis verbis haud dissimilia sunt Pindari Ol. II, 68 [62] ἀπονέστερον ἐσλοὶ δέκονται βίοτον. Homerus praebet ε 493 δυσπονέος καμάτοιο.

δακέθυμος. fr. 58, 5 δακέθυμος ἱδρώς. Conversis membris simile epithetum apud Homerum semel formatur eadem vi instructum θυμοδακής ϑ 185 (μῦθος), pariterque translate dicitur verbum δάκνειν ad animi cruciatum exprimendum E 493 δάκε δὲ φρένας Ἕκτορι μῦθος Hes. Theog. 567 Opp. 451 Theognid. 905; δακέθυμος praeterea non inveni nisi apud Sophocl. Phil. 705 (ἄτα) et in Anacreonteis, cfr. 35, 9 (Bgk.) δακέθυμά μοι λέγοντες; atque Aeschylus quidem forma paulo differt Agam. 743, ubi dicit δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος, item Sopatr. 21, 2 (Kaibel) τὴν δηξίθυμον ὀξάλμην. Hoc quidem Simonidis loco utrum de salsi sudoris acerbitate proprie dictum sit sicuti ap. Sopatr. l. c. an molestiae quoque subsit quaedam translata notio, dubitari potest. Similiter formatum est epicum ἐχέθυμος Hom. ϑ 320.

ἐναγώνιος. fr. 18, 1 Ἑρμᾶς ἐναγώνιος. Apud Simonidem Mercurii ut ludorum praesidis fungitur epitheti munere, sicuti postea ap. Pindarum Aeschylum Aristophanem alias, cfr. Bruch-

